



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XLI. De Statu religioso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

perpetuam, sub eadem tacita vel expressa conditione; Vtrum dimissione extorta teneatur adhuc voto castitatis?

*Quid si
vovit et-
iam conti-
nentiam.*

Respondeo, Probabile est non teneri immediatè hoc voto; quia mens ipsius non videtur fuisse ad hanc se obstringere, nisi maneret in Monasterij obsequio; non autem si contingeret illum dimitti. Teneatur tamen mediatè, quatenus obligatur se rursus exhibere; vt recipiatur ad præstandum serui & bona fide famulatum, quem promisit. vbi enim receptus fue-

rit, rursus tenebitur vi prioris voti.

Contrarium tamen videri possit probabilius, quia conditio sub qua promisit, non fuit sublata eo modo, quo debuit vt votum cessaret: mens enim vouentis erat se obligare, nisi sponte ipsius Superior dimitteret, seu quamdiu illum sponte retinere vellet: atqui nunc illum non dimisit sponte, sed coactus ab ipso per iniuriam; & adhuc cupit illum retinere quantum est ex parte sua: ergo conditio non est sublata eo modo, quo debebat tolli; ac proinde manet obligatio.

C A P V T X L I.

De Statu Religioso.

Constat Dubitationibus 15.

Explicato voto, sequitur vt dicamus de statu religioso, de quo D. Thomas q. 186. & tribus sequentibus. Tamen quia hic status totus constat voto, commodissimè hoc loco tractabitur.

Status Episcoporum in tractatu de Sacramento Ordinis explicandus.

DVBITATIO I.

*Quenam requirantur ad statum
religiosum.*

*1
Quid sta-
tus, &
quotuplex.*



NOTANDUM Primò, Nomen *status* in proposito dupliciter accipi. Primò; Generatim: sic quævis vitæ conditio, in qua homo ad tempus vel perpetuò persistat & permanet, *status* dicitur; vt status innocentia, status legis naturæ, status legis Moysiacæ & Evangelicæ; status huius vitæ, & vitæ futuræ; status beatorum, & status damnatorum; status incipientium, proficientium, perfectorum; status Ecclesiasticus, & status sæcularis; status seruorum & liberorum; viduarum, & virginum, &c. Vide Caietanum quæst. 183. art. 1. Secundò, Strictè, pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obstricti sumus: hoc enim nomen quandam firmitatem denotat, vt docet D. Thomas q. 183. art. 1. & passim alij Doctores. Hoc modo D. Thomas constituit tantum tres status in Ecclesia, Episcoporum, Religiosorum, & conjugatorum; Episcopi enim perpetuo vinculo obstricti sunt obsequio suæ Ecclesiæ: Religiosi obsequio diuino: coniuges obsequio mutuo, ex his duo sunt spirituales, & vocantur status perfectionis: tertius est sæcularis.

*Tres sta-
tus.*

*2
Religionis
nomen tri-
pliciter ac-
cipitur.*

Notandum Secundò, Nomen *religionis* tripliciter accipi. Primò, Pro virtute qua Deus colitur, de qua supra cap. 36. Secundò, Pro formula cultus diuini omnibus communi, vel pro talis formula professione, per quam homo mancipatur obsequio diuino quantum præcisè necessarium est ad salutem; qualis est modò religio Christiana, & olim religio Iudaica. Tertio, Pro peculiari quadam formula & professione, per quam homo ex libera sua electione penitus obsequio

diuino mancipatur. hæc supponit omnia ad quæ obligat communis religio Christiana, & propriè includit aliqua alia, quæ maximè ad perfectionem conducunt. vnde peculiari ratione vindicatur sibi nomen Religionis. huius professores propriè dicuntur *Religiosi*; quasi toto diuino cultui *Religiosi* addicti. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia cap. 6. dicit eos à *suis ducibus*, id est, ab Aposto- *Cur dicitur
lis appellatos* *de gratia pura Dei obsequio & cul-* *de gratia &*
tu eodem nomine vocat illos Philo in lib. de Con- *tal.*
templatione; idque ob duas causas, vt ibi insinuat: tum quia cultui & obsequio Numinis penitus dediti; tum quia toti sunt in animo suo curando & virtutibus excolendo. *de gratia dicitur enim duo signifi-*
cat, colere & curare, seu mederi, eodemque modo *vsurpatur apud Græcos, quo hæc apud Latinos.* Vocati sunt etiam ab Apostolis *Monachi*, teste *Monachi.*
Dionysio supra, à *vita inuisibili & singulari, qua* *in Deiformem monadem colliguntur & perficiuntur.* Dicuntur etiam *anachoræ* à D. Basilio & aliis, id *Anachoræ.*
est, *exercitiores*, quia eorum munus est, se in virtutis palæstra exercere. Hinc *anachoræ* eiusdem Basilij, quæ ad instructionem Monachorum pertinent. Nomen tamen *Monachi* propriè non conuenit omnibus Religiosis, sed solis vitæ contemplatiuæ deditis: non enim Mendicantes propriè sunt Monachi, cum assiduè inter homines versentur, & multò minus qui ex instituto sunt Clerici seu sacerdotes, vt sunt Canonici regulares, & Religiosi Societatis Iesv. alia enim est Religio Clericorum, alia Monachorum, vt constat ex cap. Licet. 18. de Regularibus, cap. Nullus. 1. & cap. 2. Mandamus. 19. qu. 3. & aliis multis Iuribus. in fauoribus tamen, nomine Monachorum veniunt omnes Religiosi, vt docet Panormitanus in cap. Ex parte. 2. de postulat. Prælat. & alij Doctores.

Vulgò in Italia, Hispania, & Gallia vocantur *Patres.*
Patres; quod nomen potius est benevolentia & charitatis, quam honoris. nam etiam laicis Religiosorum à sæcularibus tribuitur. vnde etiam laicis sacerdotibus, & in primis Parochis tribui possit; tamen honoris causâ hi potius vocantur domini quam Patres, sicut & Magnatum filij, patres suos dominos vocant. Itaque Religiosis, qui in plebem & pauperes quolibet parentum affectum & officia præstant, & magis amo-

amoris, quo ad benevolentiam excitentur, quam honoris, quo intumescant, titulis delectari debent, hoc nomen propriè tribuitur.

3 Notandum Tertio, Religionem, seu *statum religiosum*, sicut & quoduis officium, dupliciter posse spectari. Primò, In actu primo, seu in habitu; & sic nihil est aliud quam debitum religiosè viuendi. Secundo, In actu secundo, & sic est ipsa religiosa vita voto firmata.

His positis, difficultas est de tribus votis, de solemnitate votorum, de regula, & de Pontificis approbatione.

Ad essentiã Religionis requiri tria vota. Quod ad primum attinet, Certum est, ad statum Religionis essentialiter requiri tria vota; eaque perpetua, paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Est communis sententia Theologorum & Canonistarum.

4 Nec sufficit seruari hæc tria sine voto; quia sic non constituunt statum, cum non habeant firmitatem: nec homo perfectè dedicatur Deo nuda illa obseruatione abique voto; quia libertatem refiliendi sibi retinet, quæ per votum abdicatur.

Nazarati. Hinc Nazarati, qui erant typos nostrorum Religiosorum, voto consecrabantur Domino, vt constat ex cap. 6. Numer. Deinde ad perfectionem Religionis requiritur vt homo totam vitam suam Deo consecret. nam vt Gregorius homil. 20. in Ezech. ait: *Cum quis omne quod habet, omne quod viuunt, omne quod sapit, omnipotenti Deo uouerit, holocaustum est*; addens, illud offerri ab his qui sæculum deserunt, & relicta Ægypto sacrificium offerunt Domino in eremo, id est, in statu Religionis: atqui non potest quis vitam suam totam simul Deo consecrare ipso actu; quia non tota simul agitur, vt inquit D. Thomas qu. 186. art. 6. ad secundum; ergo id voto fieri debet. Nec sufficit votum, nisi sit perpetuum; quia alioquin est imperfecta sui mancipatio retrò respiciens, & ius retrocedendi retinens.

Quòd hæc tria requirantur, Probatur Primò, Quia Religio est forma quædam vitæ, vel obligatio ad formam vitæ ducentem ad imitationem Christi, & ad perfectionem charitatis: sed hæc tria maximè sunt conuenientia ad imitationem Christi & perfectionem charitatis consequendam; ergo, &c. Maior per se patet. Minor probatur. Ac primum quòd *paupertas* ad hoc fit maximè conueniens, constat ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse, uade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo. & infra: Amen dico uobis, quòd quòs, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Hinc Dominus Matth. 5. *pauperes spiritu*, (id est, affectu & libera electione, non misera & ingrata necessitate) *beatos* vocat; quia ipsi regnum cælorum repperunt. hinc in primitiua Ecclesia omnia erant communia, nec quisquam aliquid suum esse dicebat, maximè apud Iudæos conuersos: idque voto videntur promississe: alioquin Ananias &

Paupertatem requiri.

Anania & Saphira votum.

Saphira non adeò grauiter puni fuissent, quòd aliquid de pretio sibi retinuissent; nec Petrus diceret illos *mentis Deo, non hominibus. Mentiri enim Deo, est non seruare quod ei promiseris.* Ita expressè docent Patres, Hieronymus epist. ad Demetriadem, Augustinus serm. 12. de diuersis, Chrystost. Hom. 12. in Acta, & alij. Denique Apostoli paupertatem seruauerunt, Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia: & Christus ipse pauperimus fuit, Matth. 8. & Luca 9. Vulpes sineas habent, &*

volucres calinidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.

De castitate, Matth. 19. *Sunt eunuchi qui seipso castrauerunt propter regnum Dei. qui potest capere, capiat.* quasi dicat, res ista est valdè eximia, horror vt quisque pro suo captu ad eam aspiret, & qui difficultatem paratus est vincere, amplectatur. Dicimur enim *posse*, quando audemus, & non finimus nos difficultate rei superari; *non posse*, quando cedimus difficultati, quamuis eam possemus absolute vincere. sic vulgò dicitur, Non possum hanc iniuriam diuini ferre, Non possum condonare, Non possum tam tenuiter viuere, &c. 1. Corint. 7. *De virginibus præceptum Dominus non habeo: consilium autem do tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium.* Denique toto illo capite hortatur ad continentiam; quia hæc præbet facultatem Domino meliùs seruienti. Vnde Dominus, Apostoli, & clarissimi Sanctorum, continentiam coluerunt. Quòd autem voto firmari soleat, patet ex Apost. 1. ad Tim. 5. *Adolescentiores viduas denota*, (Græcè *ταεινὰ*, recusa, non admittit) *cum enim luxuriant fuerint in Christo* (id est, in iniuriam Christi sponsi sui fornicaræ) *nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem* (quam Christo dederant vouendo continentiam) *irritam fecerunt.* Ita exponit hunc locum Concilium Carthaginense 4. cap. 104. & omnes Patres.

Castitatem requiri.

De obedientia, ad Philippen. 1. *Christus obediens* *obediens fuit usque ad mortem: & qui Dominum vult sequi, debet abnegare seipsum*, Matth. 16. quæ abnegatio maximè fit per obedientiam; dum iudicium & voluntatem nostram in omnibus Superiori subicimus.

Obedientiã requiri.

Secundo Probatur; Status religiosus potest considerari vel vt est quoddam *holocaustum*, quo homo omnia sua consecrat Deo; vel vt est *exercitium* tendens ad perfectionem, vel vt est *remotio impedimentorum* salutis. Si primo modo consideretur, requiruntur illa tria: nam per votum obedientiæ offert Deo animam, subiciens iudicium & voluntatem in rebus agendis Superiori propter Deum. Per votum castitatis offert corpus, abstinens se causâ Dei à voluptatibus carnis. Per votum paupertatis offert res exteriores, se illis propter Deum priuans. Si secundo modo, eadem requiruntur. vt enim homo exerceat se ad perfectionem, debet exuere affectum & sollicitudinem rerum terrenarum; (vt multis docet Dominus Matth. 6.) quod fit paupertate voluntaria. Debet abstinere à voluptatibus carnis, quæ mentem ad spiritualia reddunt maximè ineptam; (vt patet 1. ad Corinth. 7.) quod fit cultu castitatis. Denique debet dirigi tamquam discipulus, ne proprio iudicio & affectu fallatur: vt sæpè Scriptura monet, Prouerb. 19. 22. Eccles. 6. & alibi. hoc autem fit obedientiã.

Probatur.

Vt holocaustum.

Vt exercitium perfectionis.

Si tertio modo, eadem requiruntur. nam tria sunt quæ maximè salutem hominis impediunt, cupiditas rerum terrenarum, oblectationes carnis, & amor proprii iudicij & voluntatis; quæ tria infinuantur 1. Ioannis 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Itaque cum hæc tria tollantur votis Religionis, per Religionem exiit mundus.

Vt remotio impedimentorum.

Deni-

7
7
Imperfecta Religio.

Denique eadem requiruntur ut mens hominis à sollicitudine sæculi liberetur, & tranquillitatem assequatur. tota enim sæculi sollicitudo versatur in rebus temporalibus, in vxore, & liberis, & in gubernatione vitæ propria. vide D. Thomam quæst. 186. art. 7.

Ex his patet, Illa Instituta, in quibus non faciunt votum castitatis absolute, sed solum castitatis conjugalis; ut fit in quibusdam Ordinibus militaribus, non esse proprie & perfecte Religiones, sed solum imperfecte, & secundum quid: quia non continent primaria consilia Christi: castitas enim conjugalis non est consilij, sed præcepti. Vnde in tali Instituto non fit holocaustum perfectum; quia corpus Deo non offertur. Deinde mens hominis non abducitur à delectationibus carnis, quæ maxime illam ad spiritualia reddunt ineptam: nec à studio placendi vxori, quod hominem diuidit, teste Apost. 1. ad Cor. 7. nec ab aliis sollicitudinibus innumeris, quas status matrimonij ingerit, quæ hominem à rebus diuinis maxime auocant. Denique quicumque iam inde à temporibus Apostolorum se Deo dedicare voluerunt, ante omnia castitatem ei vouerunt, tamquam hac vna re potissimum reddamur diuino obsequio idonei. Idem docet diuus Thomas qu. 186. art. 4. ad 3. Illi, inquit, modi viuendi, secundum quos homines matrimonio viuunt, non sunt simpliciter & absolute loquendo Religiones; sed secundum quid, in quantum scilicet in aliquo participant quedam, quæ ad statum Religionis pertinent. Et Sotus libro 7. de Iustitia, quæst. 5. artic. 3. In eadem est Glossa in Clement. Ex eo, de sentent. excomm. & alij. Quæ verò Nauarrus de relictibus quæst. 1. monito 55. adducit, solum probant tales posse dici personas Ecclesiasticas & Religiosas imperfecto modo.

Obiectio.

Dices cum Nauarro, Qui verè est Religiosus, non desinit esse talis ex eo quod Papa cum illo super aliqua parte voti dispenset: sed Papa dispensauit cum illis ut possint ducere vxores: ergo, &c.

Resp.

Resp. Maior vera est, si illa pars voti talis sit, ut sine ea possit essentia Religionis consistere: at obligatio castitatis non est talis, ut aperte colligitur ex cap. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum, vbi dicitur, *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regule monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*: quod Doctores passim intelligunt, remanente statu Monachi, seu religioso.

Vnde vterius sequitur, si eorum professio ab initio fiat cum illa moderatione ad castitatem conjugalem, eos non fore proprie Religiosos. Cetera, quæ Nauarrus adfert, omitto, quia parum videntur.

8
8
Solemnitas an sit necessaria.

Quod attinet ad secundum, non est necessarium ad essentiam status religiosi, ut vota ista sint solemnia; sufficit ut ab Ecclesia in eum finem acceptentur. Probatur Primo, Quia solemnitas votorum est ex institutione Ecclesiæ, ut supra cap. 40. dubit. paruit. ostentum est: quæ sicut in vna Religione potest aliquam solemnitatem vel conditionem requirere ut acceptet illam pro Religione, ita & in alia potest non requirere. Ea autem, quæ ipsi Religioni secundum se essentialia sunt, iure diuino sunt constituta. Secundo, Quia illa solemnitas solum inducit quandam innabilitatem ad proprietatem bonorum, & ad

matrimonium: quæ inhabilitas non est necessaria ad statum perfectionis: nam potest quis esse verus Religiosus manente vinculo matrimonij, si præcindatur facultas eo vtendi, ut patet quando coniunx ex consensu alterius profertur. Simili modo dominium non magis repugnat statui Religionis quam vsus, si omni momento dependeat à nutu Superioris, ita ut ad omnem nutum illius sit paratus resignare. Nec obstat cap. Cui ad Monasterium, supra citatum, vbi dicitur, *abdicationem proprietatis adeo esse annexam regula monachali, ut nec Summus Pontifex contra eam possit licentiam indulgere*. quia loquitur de proprietate quantum significat ius independens à voluntate Superioris, quo quis possit rem tenere, & uti tamquam non subiecta Superioris auctoritati. quo modo passim accipitur, quando de proprietate Regularium agitur, ut patet cap. 2. & 4 eodem titulo. vbi dicitur, Religiosum, qui in extremis habere peculium (nempe absque Superioris concessu, ut ibidem aperte insinuat) vel habere proprium deprehensus fuerit, non esse in loco sacro sepeliendum. vbi nihil aliud est habere proprium, quam aliquid tenere in scio Superiore quali iure proprio, & tamquam non subiectum Superioris dispositioni; ita ut non sit paratus ad Superioris arbitrium relinquere. Itaque proprietatis non accipitur ibi pro qualicumque dominio rei etiam separato à libero rei vsu. neque talis dominij abdicatio pertinet ad essentiam Religionis, cum nullo modo officiat perfectioni; præsertim quando iusta causa est illius dominij ad tempus retinendi. parui enim æstimatur dominium rei, si non magis possis ea uti aut de ea disponere absque Superioris arbitrio, quam si dominium non haberes, & quouis momento paratus esse debeas illud abdicare. Sicut enim dominium, quod maritus habet in corpus vxoris, non repugnat statui Religionis, sed solum vsus: ita nec dominium rei, nec vsus illi repugnat, nisi sit independens à Superioris arbitrio. Tertio, Quia per vota simplicia in Societate Iesu post probationem emissa, efficiuntur veri Religiosi, ut motu proprio & ex certa scientia declarauit & definiuit Gregorius XIII. in sua Constitutione, quæ incipit, Ascendente Domino, anno 1584. edita, vbi etiam excommunicat, & inhabiles ad omnia beneficia & officia secularia ac regularia reddit eos qui contrarium ausi fuerint affirmare. Idem colligitur ex Concil. Tridentino sess. 25. cap. 16. de Regularibus, vbi agens de professione Nouitiorum, quomodo in aliis Religionibus fieri debeat, approbat peculiarem modum Societatis, (quam & Religionem Clericorum vocat) quo, peracto biennio probationis, emittunt vota simplicia, & desinunt esse Nouitij, habenturque Religiosi: ergo tacite insinuat illos fieri verè Religiosos.

Idem aperte colligitur ex aliorum Pontificum, Pauli III. Iulij III. Pij IV. & Pij V. diplomatibus; quibus Primo totum Societatis institutum & modus procedendi approbatur & confirmatur.

Deinde declarantur apostata & excommunicati omnes eius desertores; quæ declaratio facta esset, nisi ipsi essent veri Religiosi. nemo enim in iure vocatur apostata, nisi qui religionem Christianam, vel Institutum religiosum ab Ecclesia approbatum, cui insitus erat, deserit. neque sententia

Constitutio Greg. XIII

Probatur ex litteris aliorum Pontif.

tentia excommunicationis in Iure causa desertionis cuiquam, nisi talibus infligitur.

Tertio, Iltis desertoribus aditus ad alios Ordines etiam mendicantium intercluditur, & professio in eis facta seu attentata decernitur irrita, præterquam in Religione Carthusianorum: atqui nemini, qui non sit in statu perfectionis, aditus ad statum perfectionis est interceptendus: ergo supponebant isti Pontifices, illos iam esse in statu perfectionis. Ex quibus est perspicuum, illos sensisse, per ista vota simplicia fieri verè & propriè Religiosum, & sanè nisi ita esset, grauer illi errassent, habendo apostatarum loco eos qui egrediuntur, & excommunicationis sententiam, etiam si alium Ordinem ingrediantur, in eos proferendo, & professionem irritam reddendo, quid enim hoc aliud esset quàm impedire statum perfectionis, & sequelam consiliorum Christi, & pro ea hominem eicere extra Ecclesiam? Itaque de hac re non potest esse vlla dubitatio.

Quarto, Si per vota simplicia non posset quis fieri Religiosus, id esset vel quia per illa non fit traditio sui, sed solum promissio: vel quia per illa non sortitur statum perfectionis, vel quia non obligamur ad illas functiones perfectionis, ad quas obligamur per solemnia. Non primum, Quia per illa fit vera traditio, vt supra ostensum est, & Ecclesia acceptat illa, mediante Prælato, cui hanc auctoritatem dedit. Non secundum, Quia qui sic se astrinxit, non potest se vlllo modo illa obligatione eximere: vnde ex se est perpetua & immutabilis.

Nec obstat quòd possit dimitti, & votis liberari; quia etiam professi auctoritate Pontificia votis solemnibus eximi possunt, vt cap. 40. dubit. vlt. ostensum est. Ad statum sufficit, vt te ipse non possis ab ea vitæ conditione eripere; quamvis Superioris potestate, præsertim supremâ, eximi possis. Confirm. exemplo serui, qui propriè est in statu seruitutis, quia seipsum ab eo eximere non potest; quamvis dominus possit illum manumittere: & coningum, qui mutuo consensu possunt ad Religionem transire, & solui obligatione mutui obsequij: sic etiam Episcopus potest auctoritate Pontificis Ecclesiam suam deserere, & sibi soli viuere. Non tertium, Quia vota simplicia possunt obligare ad omnia exercitia perfectionis, sicut solemnia.

Nec obstat quòd DD. passim requirant votum solemne, quia loquuntur de Religione secundum Ius antiquum, quo Iure non acceptatur votum simplex ad statum: non tamen negant quin auctoritate Ecclesiæ acceptari possit.

9 *An regula requiratur.* De tertio, Ad essentiam status religiosi absolute non requiritur alia regula, præter eam quæ diuinis mandatis & ipsis votis continetur. Ratio est, quia hæc absolute sufficiunt vt ducant hominem ad perfectionem. Confirmatur, quia ad reliqua non est obligatio in singulis, præsertim essentialis: potest enim quis eximi à choro, ab vsu piscium, ab vsu lanearum, & similibus, manente essentia Religionis. Quia tamen ob multas causas Ecclesia non consuevit huiusmodi statum approbare pro Religione, absque aliqua particulari regula, ea est necessaria, non per se, sed per accidens.

10 *An Ecclesiæ approbatio.* Quod ad quartum attinet, Ad statum Religionis saltem perfectum necessaria est Ecclesiæ approbatio, & votorum admissio. Vnde etiam initio

Ecclesiæ, Monachi per Episcopos initiabantur, vt patet ex Dionysio c. 6. Ecclesiastica hierarchia, vbi formulam huius initiationis describit: & virgines ab Episcopis velabatur, teste Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, & aliis. De quo ritu exstat decretum Pij I. qui vndecimus Papa fuit, c. 15. Virgines 20. qu. 1. nec vnumquam fuit perfecta Religio, nisi quæ à Prælati Ecclesiæ approbata fuit. Ratio est Primò, Quia sine hac approbatione non potest esse status spiritualis supra communem statum Christianorum, sed omnes merè sunt laici, subiecti potestati sæculari; nisi fortè aliqui ex illis sint Clerici vel sacerdotes; quod non competit illis per istam vitæ conditionem, sed aliunde. Religio autem perfecta est status spiritualis & supernaturalis, distinctus à communi statu Christianorum, & proinde à Christo peculiari modo descendere debet, idque mediante ipsius Vicario; sicut omnes gradus ecclesiastici, & omnis iurisdictio spiritualis; iuxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, &c.* Secundò, Quia votum paupertatis & obedientiæ religiøsæ respiciunt auctoritatem Prælati habentis iurisditionem spiritalem: paupertas enim religiosa non potest vlla re vti, nisi dependenter à voluntate Prælati; obedientia verò præceptum Prælati inuenitur. Itaque requirunt in Superiore spiritalem potestatem à Christo descendente. Confirmatur, quia Religiosus obedit Prælato tamquam Christo, in eoque Christum inuenitur; nimirum quia à Christo potestatem accepit, & Christi vices gerit.

Dices, Possum me alteri subiicere, eligendo illum in Superiorem, eique vouendo castitatem, obedientiam, & paupertatem, &c. *Obiectio.*

Respond. Eo casu non habebit ille potestatem spiritalem, sed solum naturalem quam tu illi dedisti. sed hæc potestas non erit iurisditionis, nec poterit imponere necessitatem parendi. Sicut enim nemo habet in seipsum iurisditionem, qua se cogere, sibi que obligationem præcepti imponere queat, ita nec eam potest alteri dare. Vnde solum teneberis illi præcipienti obedire ratione voti; sicut si vouisses parere eius consilij.

Nec refert etiam si te illi subieceris, & promiseris illi te eius mandatis pariturum: quia hoc totum non dat illi iurisditionem: neque promissio illa, cum tota sit in tuum fauorè, strictè obligat: quamuis ratione promissionis Deo factæ obligari possis. Denique huiusmodi priuata obedientia, ob multa incommoda & pericula plerumque improbat à sapientibus. Vnde etiam in nostra Religione confessariis vetitum est ne eam admittant.

Quòd si plures in vnum corpus & communitatem coeant, possent vni potestatem ad illam regendam etiam in spiritualibus conferre; & tunc tota illa communitas, & singuli quamdiu essent pars illius communitatis, ei tenerentur obedire. Sed hæc potestas non esset spiritualis, sed politica, qualis est potestas Principum sæcularium, qui non habent aliam iurisditionem, quam quæ illis data est à Repub. Omnis enim Resp. & omnis communitas libera, Iure natura habet potestatem in singula membra, sicut totum in singulas partes; & hanc potestatem conferre in vnum vel duos, qui ipsam gubernent. Itaque hæc potestas est omnino naturalis: atqui talis est omnis potestas, quam

Ccc Super-

Cur approbatio necessaria.

Resp.

sed non est potestas politica.

Superiores accipiunt ab inferioribus; etiam si ad aliquos spirituales actus imperandos se extendat. Hinc fit ut talis Superior non possit infligere penam spiritalem excommunicationis vel alterius censuræ, & ut possit ab inferioribus ea potestate priuari. quare non potest per hanc propriè Christum repræsentare, nec vices Christi gerere; cum ab ipso potestatem illam non acceperit. unde talis conditio vitæ non habebit eam connexionem aut dependentiam à Christo Domino, quam habet Religio approbata; nec ita à ipso protegetur & gubernabitur. Tertio, Qui sine hac approbatione non habet tantam immobilitatem: facili enim talis congregatio potest dissolui: ut si nolint eligere Superiorem, &c. acceptatio quoque voti non est omnino firma: quia hoc ipso, quo ille renuntiat suo iuri, vel eo spoliabitur, subditus desinet obligari. Quarto, Quia sine hac non habet securitatem; quia facili potest continere errores; ut patet in Instituto Waldensium, qui initio formam quamdam religiosæ vitæ meditabatur, quam cum Summus Pontifex ob varios errores qui in illa continebantur approbare nollet, se ab Ecclesia, multis hæresibus excogitatis, segregarunt. de quo vide D. Antoninum p. 4. tit. 11. cap. 7. §. 2.

Ex quibus patet, absque hac approbatione magnum deesse Religioni ornamentum, & quamdam perfectionem non parui momenti.

Petes, Vtrum pertineat ad Religionis essentiam?

An approbatio sit de essentia.

Respondeo, Si nomine *Religionis* intelligamus statum & formam viuendi secundum primaria Christi consilia, omnino stabilem habentem perfectionem supradictam, quomodo passim accipitur in Iure; sic approbatio Ecclesiæ potest dici pertinere ad essentiam Religionis: quia sine hac non habet tantam stabilitatem, nec potestatem spiritalem, neque eximit hominem iurisdictioni sæculari: quod maximè verum est post constitutionem Concil. Lateran. qua inuentio nouarum Religionum prohibetur.

Nec obstat, quod communiter dicatur Religio consistere solum in tribus votis substantialibus; quia hoc intelligendum est de iis, quæ requiruntur ex parte vouentis seu Religiosi: neque negatur quin necessaria sit auctoritas in eo, in cuius manibus vota illa fiunt, & eorum acceptatio; sed excluduntur aliæ obligationes Religiosi, v. g. ad cantum, ad carniū abstinentiam: essentia enim Religionis ex parte Religiosi nihil requirit, nisi obligationem trium votorum. Absolutè tamen aliquid amplius requiritur, nimirum ex parte eius in cuius manibus hæc vota fiunt: qui nomine Ecclesiæ debet ea acceptare: alioquin non inducunt obligationem satis firmam, nec efficiunt statum spiritalem, & exemptum à iurisdictione laicorum.

12
A quo hac approbatio fieri debeat.

Aduerte tamen, non esse per se necessarium ut hæc approbatio fiat immediatè à Summo Pontifice: Religiones enim SS. Antonij, Basilij, Augustini, Benedicti, non videntur initio fuisse sic approbata; sed ab Episcopis, quibus tunc suberant, ipso vsu admissæ sunt, non repugnante Pontifice: deinde sensim à Conciliis & Summo Pontifice laudatæ & confirmatæ: Ante admissionem Prælatorum non erant perfectæ Religiones, sed inchoatæ dumtaxat, & veluti manca.

13
Pontifex sibi reseruat approbationem.

Postea tamen Pontifices totam hanc causam sibi reseruarunt; idque ob iustissimas rationes.

Primo, Ut compeferent quorundam hominum indiscrētum ardorem, qui nouis Religionibus seu formulis viuendi excogitandis erant intenti, quæ res magnam confusionem & alia incommoda in Ecclesiam potuissent inuehere.

Secundo, Ne irreperet aliqua Religio errores continens, aut aliter noxia Ecclesiæ vel salutis animarum: qualis erat Religio Waldensium.

Tertio, Quia maiores Ecclesiæ causæ Sedi Apostolicæ reseruandæ; cap. Maiores. 3. de Baptismo & eius effectu: approbatio autem Religionum, sicut & canonizatio Sanctorum, ad maiores Ecclesiæ causas pertinet. unde in Concilio Lateran. sub Innocentio III. cap. vlt. Ne nimia, de religiosis domibus, sic dicitur, *Firmiter prohibemus, ne quis de cetero nouam Religionem inueniat*: intellige, mandando eam executioni absque Pontificis approbatione; nam paulò post multæ sunt inuentæ, & approbante Pontifice seruatæ; ut patet cap. Religionum, in Sexto. Idem constitutum in Concilio Lugdunensi, sub Gregorio X. ut habetur d. c. Religionum: *Religionum* (inquit Concilium) *diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret, generale Concilium consulta prohibitione vetauit.* & infra: *Repetita constitutione districtius inhihentes, ne quis de cetero nouum Ordinem aut Religionem adinueniat, vel habitum nouæ Religionis assumat.*

Ex quibus sequi videtur, professionem in tali Religione fore inuvalidam; nec obligatum iri profitentem voto paupertatis & obedientiæ. Ratio est, quia Ecclesia prohibet illam formulam viuendi & profitendi, nec tribuit potestatem acceptandi. hoc ipso enim, quo prohibet nouarum Religionum inuentionem, & susceptionem habitus in iisdem, prohibet etiam vsum illarum; & consequenter qui eam amplexi sunt, possunt illam deserere, imò videntur teneri, quamuis per bonam fidem possint excusari. Si possunt illam deserere, non tenentur voto paupertatis ac obedientiæ; quia illud ad illam vitæ formulam restrinxerunt, non intendentes se obligare ad paupertatem vel obedientiam, nisi in illo Ordine, & iuxta Superiorum illius Ordinis directionem.

De castitate fortè est alia ratio, quia huius executioni non dependet à Superiorum potestate & directione. Verius tamen puto esse eandem rationem; quia cum Ecclesia absolutè prohibeat talem Religionem, cur professionem in ea factam acceptet quoad castitatem? Accedit, quòd ille non intendat vouere castitatem, nisi in Religione, ut sic vouendo fiat Religiosus: & si rogaretur, diceret non aliam esse suam mentem. quare cum non sit Religio, sitque ipse in eo deceptus, non videtur teneri.

Aduerte tamen, cum aliqua ex nouis illis Religionibus in Ecclesia longissimo tempore sint permixta, & ipso vsu quodammodo confirmatæ, non ut Religiones, sed ut pia instituta; videri professionem earum, ratione tacitæ approbationis, habere vim votorum simplicium: ac proinde subditos non posse redire ad sæculum sine dispensatione Episcopi, qui eos ex causa à voto paupertatis, obedientiæ, ac stabilitatis loci absoluerit poterit; non tamen à voto castitatis, ut ex dictis c. 40. nu. 105. & 106. constat.

Ex his patet, ad essentiam Religionis perfectæ seu completæ, per se nihil necessariè requiri præter tria vota supradicta, & Ecclesiæ approbationem

14
An professio ibi sit inuvalida.

Habet vim votorum simplicium ex consuetudine.

15
Quæ ad essentiam Religionis pertinet.

nem seu acceptationem. Nec obstat quòd obseruatio votorum aliquando dicitur pertinere ad essentiam Religionis: id enim intelligendum est, vel quia essentia Religionis ad eam obligat, debitum enim & obligatio seruandi vota est Religioni essentiale: vel quia pertinet ad essentiam Religionis consideratè in actu secundo.

D V B I T A T I O I I.

Vnde proueniat Ordinum religiosorum diuersitas, & quis sit inter eos perfectior.

D. Thom. quæst. 188. art. 1. & seqq.

16 **R**espondeo & Dico Primò, Diuersitas Ordinum religiosorum non prouenit ex aliquo quod Religioni est essentiale, vt sunt tria vota essentialia, & approbatio Ecclesiæ. hæc enim omnes sunt communia. Itaque si essentialia spectentur, omnes sunt eiusdem speciei: consistit enim omnium essentia in obligatione trium votorum ab Ecclesia acceptatorum.

17
Diuersitas
Ordinum
Regul. ex
duobus.
1. Ex fine.
Contem-
platiui Or-
dines.

Dico Secundò, Hæc diuersitas Ordinum prouenit ex duobus. Primò, Ex particulari fine seu functione, ad quem quisque Ordo speciatim est institutus. ita D. Thomas suprâ art. 1. Quidam enim sunt instituti, vt præter obseruantiam votorum essentialium, potissimum se exercent in operibus vitæ contemplatiuæ. Tales ferè sunt quos antiquiores Patres instituerunt, Antonius, Pachomius, Basilii, Benedictus, Bruno, Ordo Cisterciensium, & Cluniacensium. Horum cultores propriè vocantur Monachi, quia vacant solitudini, & 7^o mouè dicitur, id est, vnitati, quæ Deus est, sunt intenti. Ad hos referendi Canonici regulares, quorum præcipua functio est Horas canonicas in choro piè decantare. Alij instituti sunt ad opera vitæ actiuæ corporalia; vt ad redimèdos captiuos, ad suscipiendos peregrinos, ad seruendum infirmis, ad defendendam Ecclesiam contra hostes fidei. hæc enim omnia sunt opera charitatis, quibus tenditur ad perfectionem: vnde ad ea peculiari studio obeunda potest aliquis Ordo Religionis institui. Vide D. Thomam qu. 189. Alij partim ad contemplationem, partim ad opera vitæ actiuæ, sed spiritualia, quæ contemplationem supponunt; vt sunt Ordines mendicantium, & Societas nostra, quæ etiam inter Mendicantes auctoritate & iudicio Sedis Apostolicæ censenda est.

Actiui.

Mixti.

18
2. Ex me-
diis.

Secundò, Ex particularibus medijs & ritibus, quibus vtuntur vel ad vota sua melius seruanda, vel ad functionem propriam melius obeundam. Sic inter Ordines ad contemplationem institutos videmus magnam varietatem in habitu, victu, ieiunijs, alijsque pijs exercitijs. Similiter inter Ordines mendicantium. Hinc fit vt diuersæ sint regulæ & constitutiones Religionum, quibus hæc omnia in particulari præscribuntur. Et quamuis non numerentur à DD. nisi quatuor regulæ approbatæ, sub quibus omnes Ordines religiosi militant, (præter Carthusianos, qui habent sua statuta, & Societatem IES V, quæ suas constitutiones) videlicet Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci: tamen singuli suæ regulæ proprias constitutiones adiunxerunt, quibus inter se discrepant, etiam si eandem regulam sequantur. sub regula enim D. Basilij viuunt panè omnes Græci Mona-

Regula ap-
probata.

chi: sub regula B. Augustini omnes Canonici regulares, Dominicani, Augustiniani, Seruita, Hieronymiani, Hospitalarij, Cruciferi, & aliqui alij; sub regula S. Benedicti, Monachi nigri, Cluniacenses, Cistercienses, Camuldulenses, Cælestini, & alij. Hi tamen omnes proprijs constitutionibus regulæ superadditis, & habitu multum differunt. Vide Siluestrum, Religio 1. qu. 7.

Hæc autem varietas Ecclesiæ est ornamento. 19
sicut enim Reipub. politicæ est ornamento habere omnia genera opificiorum, quæ iuuent & oblectent vitam istam temporalem; ita Ecclesiam, quæ est diuina quædam Respublica, exornat tanta varietas opificiorum & exercitiorum spiritualium ad excolendam animam & vitam spiritalem inuentorum. Deinde est etiam summè vtilis; sic enim quamplurimis patet aditus ad statum perfectionis: nam qui non est idoneus ad hoc genus exercitij, v. g. ad contemplationem; est idoneus ad aliud, scilicet ad actionem; & contrâ, &c.

19
Varietas
Ordinum
religioso-
rum est Ec-
clesiæ orna-
mento.

Ex dictis facile colligi potest quis Ordo Religionis sit perfectior: perfectio enim Religionis primariò spectatur ex fine: secundariò ex medijs. 20
Illi igitur Ordines absolutè sunt perfectiores, qui ordinantur ad finem intrinsecum, seu functionem perfectiorem. Itaque Ordines illi, quorum proprius finis est vacare operibus vitæ contemplatiuæ, sunt perfectiores iis, qui operibus vitæ actiuæ; & qui non tantum contemplationi vacant, sed etiam contemplata in alios transfundunt, perfectiores sunt, quam qui soli contemplationi incumbunt. Tales sunt in Ecclesia Ordines illi, qui instituti sunt ad docendum, prædicandum, & Sacramenta administranda. Primò, Quia perfectius est illuminare, quam lucere tantum. Secundò, Quia illi maxime sunt affines statui Episcoporum, quorum est alios ad perfectionem adducere. Tertio, Quia hoc fuit officium Apostolorum, & ipsius Christi Domini. Quarto, Quia nihil potest esse excellentius, vel Deo gratius, quam studium salutis animarum: ob hanc enim Deus creauit mundum, factus est homo, tanta fecit & pertulit: ob hanc instituta Angelorum ministeria: ob hanc Euangelia, Sacramenta, & omnis ordo ecclesiasticus. Quintò, Quia illi ex vtraque vita sunt mixti, & continent excellentissimas functiones vtriusque. Denique sunt humanæ naturæ accommodatiores, quæ aliquam varietatem functionum postulat, & plerumque in vno genere torpescere solet. Et quamuis vacare soli Deo videatur esse quid melius quam vacare proximo, tamen non semper melius enim est, humana conditione spectata, suis temporibus vacare Deo, & suis proximo, quam semper vacare soli Deo; præsertim cum vacare proximo propter Deum, sit excellens actus charitatis in Deum; & mens humana fatiscat, si assidue in diuina sit intenta. Vnde D. Thomas qu. 188. art. 6. ita scribit: Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissima sunt perfectioni Episcoporum: sicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs secundorijs, vt Dionys. ait. 7. cap. de diuin. nom. Secundum autem gradum tenent illa, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones, &c. Rursus inter eos Ordines, qui operibus vitæ contemplatiuæ vel actiuæ vacant, is est perfectior, qui pluribus vel perfe-

20
Qua Reli-
gio sit per-
fectior.

etioribus vacat. Denique inter eos, qui eundem finem habent, præstantior est, qui aprioribus mediis & exercitiis ad illum finem & ad vota sua præstanda vitur.

21
Non ex austeritate.
Hinc sequitur, perfectionem Religionis non esse austeritate metiendam, vt rectè D. Thomas art. 6 ad 3, quia fieri potest vt hæc austeritas minus sit conueniens ad functionem principalem, ob quam Religio est instituta; vel vt etiam impediatur mentem in spiritualibus exercitiis, quibus præcipuè perfectio comparatur.

Utilitas moderata austeritatis.
Est tamen moderata corporis afflictio, præsertim per ieiunium, utilis ad multa. Primò, Ad excutiendam molliem animi in rebus asperis. Secundò, Ad domandam carnem & spiritui subigendam. Tertio, Ad meditationem & amorem rerum diuinarum. Quarto, Ad varia beneficia à Deo impetranda, iuxta illud, *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & premia.* vide infra lib. 4. c. 2. dub. 10.

22
Non ex rigore paupertatis.
Secundò, Neque etiam ex rigore paupertatis, vt quòd nihil omnino, ne communiter quidem possideant, vt docet D. Thomas art. 7. tum quia fieri potest vt hic paupertatis modus non sit ita commodus ad finem illius: tum quia religiosa paupertas non postulat vt nihil communiter possideant (nam præterquam quòd Dominus & Apostoli loculos aliquando habuere, vt colligitur Ioannis 4. 6. & 13. sanctissimi viri Religiones suas bona in communi possidere voluerunt: vt Basilii, Pachomii, Augustini, Benedicti, Bruno, Bernardi) sed vt singuli non habeant nisi necessaria, idque solum cum assidua dependentia ab arbitrio Superioris. Ceteris tamen paribus, quò maior est paupertas, eò Religio est perfectior.

23
Non requiritur chorus.
Denique ad perfectionem Religionis non esse necessarium chorum: (etsi contrarium parum consideratè insinuat Sotus lib. 10. de Iustitia q. 5. art. 3. vbi dicit, Ordinem illum qui choro careat, vix mereri nomen Religionis,) Primò, Quia officium diuinum non minus attentè & deuotè dici potest sine cātu, quàm cum cantu. Secundò, Quia fieri potest vt chorus impediatur functiones principales, ad quas potissimum talis Religio est instituta; vt prædicationem, administrationem Sacramentorum, institutionem rudium, Gentilium conuersionem. Vnde videmus etiam in Ordine Dominicano, & aliis, primarias personas, quæ illis ministeriis vacare possunt, passim à choro exemptas. Tertio, Etiam si Ecclesia non haberet cantum, posset tamen esse perfecta Religio. Quarto, Quia perfectio consistit in officiis charitatis erga Deum & proximum, quæ omnia possunt sine cantu præstari. Pari modo vota essentialia, & cetera pietatis exercitia non requirunt cantu. Quintò, Quia, vt inquit D. Thomas qu. 91. art. 2. ad 3. *diaconi & Prælati, quibus cõpetit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent canibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur.* & cap. 2. In sancta Romana, dist. 92. dicitur esse valde reprehensibile vt cantus vacent, qui ad prædicationis officium sunt destinati. ergo Ordo, qui huic officio incumbit, non debet habere chorum. Vnde Caietanus q. 118. art. 7. ait, ad talem Religionem non debere omnes recipi ad professionem, sed solum idoneos ad officium prædicandi, & confessiones audiendi, & ministros eorum necessarios.

DUBITATIO III.

Qui possint ingredi Religionem, qui non.

D. Thomas quæst. 188.

24
1. Episcopi.
R Espondeo eos posse absolute ingredi, qui sui iuris sunt: qui autem alteri sunt obstricti, non possunt, nisi illius consensu. Tales sunt Primò Episcopi; hi enim iureiurando sunt adstricti obedire Romano Pontifici, vt patet ex forma iuramenti ipsorum; vnde sine illius consensu non possunt. Idem patet ex cap. Nisi cum pridem. 10. de renuntiatione; vbi causà ingrediendæ Religionis non permittitur Episcopus renuntiare Episcopatu, & ponuntur hæc solæ causæ ob quas renuntiatio conceditur, nimirum *conscientia criminis*, (videlicet quod etiam post pœnitentiam impedit executionem officii, vt Glossa notat) *debilitas corporis, defectus scientiæ, malicia plebis, grane scandalum, & irregularitas.* Deinde quia sunt obstricti suæ Ecclesiæ sicut maritus vxori; vnde & animam suam pro ea ponere tenentur, sicut Christus pro Ecclesia posuit, d. cap. Nisi cum pridem. 10. quare sicut maritus non potest deserere vxorem absque eius consensu; ita nec Episcopus Ecclesiam absque consensu Ecclesiæ: quem consensum Pontifex, qui omnium Ecclesiarum curam habet, sibi reseruauit. Denique quia si pro arbitrio licitum ei esset Religionem intrare, posset id in magnum damnum Ecclesiæ cedere.

Aduerte tamen, si voueret Religionem, votum non fore inualidum; quia fieri potest vt id & ipsi & Ecclesiæ sit melius. Itaque tenetur Summo Pontifici suum votum aperire, & copiam exequendi petere: nam sub hac conditione, *Si Pontifex cõcesserit*, censetur factum. vnde etiam implicitè vouit eidem proponere: alioquin non seruum, sed illusorium votum esset. Vide Siluestrum Religio, 2. q. 8. & Votum, 3. qu. 3.

25
Coniuges.
Secundò, Coniuges post consummatum matrimonium. cap. Quidam. 3. & cap. Placet. 12. de conuersione coniugat. vnde si alter altero ignorante vel saltem non consentiente profiteatur, alter potest coniugem repetere; & ille tenebitur redire, & debitum petenti reddere; non tamen poterit exigere, sed quantum in se est seruare castitatem, vt supra cap. 40. n. 82. & 84. dictum est, & patet ex duobus capp. iam dictis. Ratio est, quia Ecclesia ita interpretatur ipsius professionem, vt absolute valeat quoad seruandam castitatem, quatenus id non cedit in præiudicium alterius.

Aduerte tamen, si ipse sibi cõsciens sit, saltem per rationes probabiles, quòd, dum profiteretur, non voluerit se independentem à statu religioso ad absolute castitatem obligare, sed solum supposito statu religioso, non tenebitur à debiti petitione aut à secundis nuptiis abstinere: quia votum habuit tacitam conditionem; quæ cum non extet, cessat obligatio, non enim obligat ultra intentionem vouentis. Ecclesia tamen in dubio interpretatur illum se voluisse absolute, & quantum licitè posset, ad continentiam obstringere; vnde in foro conscientiæ idem in dubio præsumendum.

Vtrum autem in ceteris professio illa censenda sit irrita, an valida sub conditione, si nimirum coniunx non repugnauerit (quomodo vota Religio-

An in ceteris sit irrita.

gioforum, impuberum, & vxoris valida esse diximus) dubium est. Multi DD. insinuant esse validam sub conditione, & solum dici inualidam, quia est in irritum reuocabilis. Vnde si coniunx illum non reuocavit ad commercium coniugale, aut adulterio commissio ius reuocandi perdat, professionem confirmari, nec posse redire ad sacculum, quamuis illa repugnante, aut dolo metuque consentiente, sit professus. Colligitur ex d. cap. Placet. 12. de conuers. coniugat. vbi sic dicitur: *Redire vero ad seculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti: & ideo quantum ad ipsam, tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desit.* &c. Idem colligitur ex cap. Constitutus. 15. & cap. Veniens. 16. eodem tit. Confirmatur, quia illa professio videtur habere tacitam conditionem, si coniunx non contradixerit. proficitur enim quantum in se est.

Probabilis, non esse validam.

Verum contraria sententia est valde probabilis, nimirum talem professionem omnino esse irritam in foro conscientie, excepta obligatione castitatis iam dicta. Vnde etiam vxor, qua ignorante vel contradicente maritus professus est, non reuocat illum, aut etiam postea consentiat, non ideo conualescit professio, vt docet Sancius lib. 7. de matrim. Ratio est, quia per professionem homo se transfert in ius & potestatem Religionis, atqui is qui est in alterius potestate, non potest abique eius consensu se in potestatem Religionis transferre: id enim cederet in prioris iniuriam, ergo. Vnde nec coniunx absque consensu coniugis, nec seruus absque consensu domini profiteri valide potest. est ergo professio talis irrita: sicut si seruus alteri se venderet, aut alterius obsequio se obstringeret ignorante domino, contractus esset irritus, atqui, quod ab initio est irritum, tractu temporis non conualescit. regul. 18. de regul. iuris, in 6.

Neque sufficit, si dicas, talem professionem esse conditionalem: quia supponimus absolute factam esse; quo modo iure & consuetudine fieri debet. Non enim solet conditionalis professio admitti in Ecclesia. Vnde etiam non recte dicitur habere tacitam conditionem a iure: quia contra ius est, si aliqua conditio adiungatur, cum eius effectus non possit esse pendens. Vnde ius requirit aetatem congruam, & annum probationis, & diligentem inquisitionem de conditione personae, priusquam admittatur ad professionem: nimirum, quia per illam statim inducitur status immobilis. Vnde vterius sequitur, professionem non posse irritari sicut alia vota: quia non habet illam tacitam conditionem, ratione cuius alia possunt irritari, vt docet D. Thomas qu. 88. art. 8. ad 4. & supra cap. 4. dubit. 13. ostensum est. Et confirmatur Primo; quia matrimonium carnale semel validum non potest vquam in irritum reuocari: ergo nec professio, quae est matrimonium spirituale. Haec enim in iure quoad firmitatem solent equiparari: imo professio videtur firmitior; quia soluit matrimonium ratum. Confir. Secundo, quia si professio esset vilo modo valida, deberet redire ad Monasterium vxore mortua, sicuti tunc debet seruare castitatem: atqui hoc est contra cap. Quidam. 3. & cap. Placet. 12. de conuers. coniugat. vbi dicitur, *Non teneri redire.* maior patet, quia mens vxoris non fuit irritare professionem, sed solum vti suo iure quamdiu ipsa viueret, cohabitando

marito, itaque si valuit illa professio, solum fuit suspensa ad tempus: ac proinde tenebitur redire, quare cum constet non teneri redire, recte colligimus fuisse irritam. Neque etiam dici potest, illam professionem habere vim voti simplicis: quia dicto cap. Quidam; dicitur, *Tale votum non tenuit; unde ratione voti ad Monasterium non tenetur redire,* &c. vbi aperte insinuat, fuisse irritum quoad ceteras obligationes, praeter illam castitatis. Eadem locum habent, quando consensit quidem coniunx, sed metu graui vel dolo inducta, talis enim consensus non officit iuri ipsius. De metu colligitur cap. Accedens. 17. de conuers. coniugat. Vnde Glossa in cap. Veniens, eodem tit. v. Captiosè asseruit, ait *licentiam proficendi minis extortam esse nullam:* idque probat ex cap. 2. Notificasti. 33. quæst. 5. De dolo, docet Glossa d. cap. Veniens, v. Sponte supposit. vbi dicit, *quod votum ex toto non tenuit, eo quod ipsa decepta licentiam marito dederit.* vnde maritum posse egredi, & adulteram recipere in gratiam.

Si metus vel dolo inducta consensit.

Nec obstat, quod dolus in spiritualibus non noceat, vt ibidem Glossa v. Captiosè: tum quia id non est vniuersè verum; tum quia cessio iuris maritalis non est quid spirituale.

Ad cap. Placet, pro sententia contraria adductum, Respondeo, Ob illud cap. sententiam illam esse valde probabilem: eamque sequitur Panorm. in illud c. n. 3. Silu. v. Diuortium. q. 14. & Angelus Matrimonium 4. n. 13. Verum dici potest, illa verba sic intelligenda, vt *votum illud tenuerit, non obligatione iustitiae seu Religionis, sed decencia: quod aperte insinuat verbis sequentibus, vbi dicit talem inducendam vt redeat ad Monasterium, vbi bona intentione professionem fecit, non tamen cogendam inuitam.* idem satis insinuat Glossa ibidem, v. In eius potestate, & v. Non cogendam. sique optimè conciliatur hoc cap. cum cap. Quidam eodem. quo loco vide Innocent. nu. 1. vbi, vt professio ista valeat, requirit, vt maritus non reuocatus, post mortem vxoris illam ratam habeat. Dicit etiam potest illud votum ex parte vxoris tenuisse, quia Monasterium ratione illius ius habebat illam retinendi, nisi maritus illam repeteret, quamuis ipsa cessante scandalo posset occultè recedere. Sicut qui fictè contraxit, potest cogi vt impleat contractum, si potest. Colligitur haec responsio ex Glossa d. cap. Veniens, v. Spontè supposit.

Ad argumenta sententiae prioris. Illa sententia est probabilis.

Ad cap. Constitutus, Respondeo, Ibi solum dicit, vxorem adulteram non posse maritum profectum repeterere: quod verum est, etiam si ante adulterium ea inuita fuisset professus. nam repeterenti opponetur exceptio adulterij. In casu tamen illius cap. Si ordinatus & professus fuerat post adulterium; & ita valuit professio.

Hinc patet responsio ad cap. Veniens. Etsi enim illa dolo fuerat inducta ad praebendum consensum marito volenti profiteri, tamen quia postea commisit adulterium, amissionis repetendi, etiam si nondum esset professus.

Aduerte tamen, quando vxor absque dolo & metu sponte consensit, valere promissionem; vt colligitur ex parte 1. de conuers. coniug. iuncta Glossa, & cap. Agathosa. 27. qu. 2. Si tamen ipsa non vouit, poterit officio iudicis illum repeterere, ipse tamen mortua coniuge tenebitur reuerti ad Monasterium iuxta d. cap. Ex parte, de conuers. coniugatorum.

26 *Quibus casibus possunt intrare.* Possunt tamen coniuges ingredi Religionem duplici ratione. Primò, accedente mutuo consensu. Vxor nihilominus consentiens in ingressum mariti, tenetur etiam ingredi, si iuuenis est, vel talis vt in sæculo manenti merito timeri possit de incontinentia. Si autem sit senex, aut certè talis vt non sit morale periculum in sæculo, sufficiet votum continentiae in manibus Episcopi. vtrumque habetur cap. Cùm sis. 4. cap. Vxoratus. 8. cap. Ad Apostolicam. 13. de conuers. coniugat. quòd si ipsius consensu vir professus sit, & ipsa nec continentiam nec Religionis ingressum vouit, inducenda est vt id faciat: si nolit, & periculum sit incontinentiae, debet Episcopus suspendere professionem viri ad vitam vxoris. vel donec ipsa faciat quod Ius postulat; & illum vxori reddere. mortua vxore redit vis professionis, & tenetur redire ad Monasterium; quia cùm vxoris consensu facta sit, non potuit irritari, sed solum ad tempus suspendi executio, cap. Consuluit. 10. cap. Ex parte 9. de conuersione coniugatorum.

Sed quid si ipsa Iuris dispositionem sciuit eum consentiret, videlicet se non posse consentire, nisi Religionem intrare velit?

27 *Si sciuit Iuris statum.* Respondeo, Eo casu si periculum sit incontinentiae, posse compelli ad Religionem, vt colligunt DD. ex c. Significauit. 18. à contrario sensu. Hoc tamen non sic intelligendum puto, vt possit cogi ad profitendum; quia nullo modo intendit se ad hoc obligare, vt suppono: & si rogata fuisset, respondisset non eam esse mentem suam; poterat enim cogitare Ius sibi fore relaxandum: & illud cap. non loquitur tantum de ea qua sciuit Iuris dispositionem, sed in genere. Vnde illud ita intelligo, vt si periculum incontinentiae sit in sæculo, possit compelli habitare in Religione seu Monasterio, vbi custodiatur: nemo enim potest cogi ad professionem, nisi qui eam promittit; vt infra dubit. 4. ostendemus.

28 *Maritus tenetur etiam ingredi.* Circa praedicta aduerte, quòd sicut vxor consentiens in ingressum mariti tenetur ingredi, vel saltem profiteri continentiam; ita etiam maritus consentiens in ingressum vxoris; d. cap. Cùm sis. & cap. Quia 25. cap. 26. Scripsit nobis. 27. qu. 2. & haec omnia debent fieri auctoritate Episcopi, vt habetur cap. 23. Si vir. 27. qu. 2. non tamen est irrita professio, si aliter facta fuerit.

29 *Potest altero inuito ingredi in 4. euentis.* Secundo, Potest alter inuito altero ingredi, idq; potissimum quatuor euentis. Primò, Antequam matrimonium sit consummatum, cap. Verum. 2. & cap. Ex publico. 7. de conuers. coniugat. Secundo, Etiam post consummatum potest vxor ingredi, iuxta probabiliorē sententiam, si vir per vim consummauit ante expletos duos menses, qui ei à Iure d. c. Ex publico, conceduntur: quia ei grauem iniuriam intulit, ratione cuius non debet ipsa priuari suo iure. Paludanus in 4. d. 27. qu. 3. art. 2. Panorm. in d. cap. Verum, de conuers. coniug. Silu. v. Diuortium, qu. 5. Fumus eodem nu. 6. & alij multi, quos citat & sequitur Sanches l. 2. de matrimonio disput. 23. num. 6. Idem dicendum contra Siluestrum, si per metum grauem extorsit: quia est similis iniuria. Tertiò, Si alter coniugum committat adulterium, innocens potest Religionem ingredi, cap. 21. Agathosa. 27. qu. 2. Idem colligitur ex cap. 15. 16. 17. de conuers. coniugat. Idem dicendum de crimine Sodomiae: vt communiter tradunt DD. in cap. Maritis, de adult.

vide Couarr. de matrim. p. 2. cap. 7. §. 9. Sed vt id ordinatè fiat, debet primò fieri separatio auctoritate Iudicis, causà cognitā; cap. Porrò. 3. de diuortis; idq; partim ad vitandum scandalum, partim ne possit repeti, & cogi ad redeundum. Quòd si ipse quoque adulterium occultè commisit, non potest coniugem dimittere vt Religionem ingrediatur; quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, cap. fin. de adult. Idem dicendum si cognito illius peccato debitum petiit, vel reddidit, quia illi censetur reconciliatus, & ius suum condonasse, 32. q. 1. cap. 1. Vide Siluestrum v. Diuortium qu. 8. & 9. Quarto, Si alter incidat in haeresim, & iudicio Ecclesiae separatio fiat: tunc enim innocens non tenetur illum admittere, sed potest ad Religionem transire, etiam si ille conuerti voluerit; cap. final. de conuers. coniugat. Si tamen non fuit facta separatio iudicio Ecclesiae, tenetur emendatum recipere; nec potest ingredi Religionem, cap. De illa. 6. de diuortis, & Glossa in d. cap. fin. Ratio est, quia poenae in haereticos statuta non sunt mandandae executioni ante sententiam, vt patet ex cap. Cùm secundum leges. 19. de haeret. in 6. haec autem priuatio iuris in coniugem est poena: itaque requiritur aliqua sententia. Sufficit tamen sententia declaratoria criminis, vt docet Alfonso à Castro l. 2. de iusta haeret. punit. c. 7. & Couarr. de matrimonio p. 2. cap. 7. §. 8. quia ad reliquarum poenarum executionem non plus requiritur, vt constat ex d. cap. Cùm secundum leges. Idem colligitur ex cap. finali, eodem tit.

Tertio loco inter eos, qui non possunt ingredi Religionem, est, qui virginem sub promissione matrimonij deflorauit. Nec refert vtrum serio an fictè promiserit: hic enim tenetur implere contractum, ob grauem damnus, quod alioquin illa incurreret, de quo dictum est supra cap. 10. dub. 4.

30 *Qui virginem deceptis.* Quarto, Serui non possunt capessere statum Religiosum absque consensu dominorum, cap. Si quis. 17. qu. 2. quia quoad actiones viles seruus totus est domini. vnde furtum sui faceret, si se illi subtraheret. quare etiam si professionem fecisset, esset domino petenti restituendus. tenetur tamen tunc seruare castitatem; (si tamen intendit se ad illam absolute & independenter à statu Religionis obligare) quia ad hanc se potuit obstringere domino inuito: non cetera; quia professio quoad illa fuit irrita. Hoc intellige de seruo, qui talis manet; non de eo, qui per fugam ad suos libertatem est consecutus.

31 *4. Serui.* Aduerte tamen, non esse restituendum, si triennio quaesitus non est, vt habetur d. c. Si quis: tunc tamen iusta compensatio domino facienda est, ne damnus inde capiat, vt notat Glossa in d. c. Si quis. Hoc autem triennium numerandum est non à tempore, quo dominus rescuerit vbi manet seruus existat, vt vult Siluestrus Religio 2. qu. 3. & alij, quos ipse citat; sed ab inchoato anno probationis, vt Glossa tradit, & ex d. cap. Si quis, colligitur.

32 *Qui non soluendo.* Quintò, Qui creditoribus non est soluendo: hic enim non potest ingredi, si intra paucos annos manens in sæculo possit satisfacere. aequitas enim non patitur vt cum damno aliorum ingrediatur, si illud absque graui incommodo aliquamdiu in sæculo manens potest impedire. Si autem non est probabilis spes satisfaciendi intra illud tempus, vel manendo diutius in sæculo, incurreret notabile peti-

periculum salutis, potest ingredi, relinquendo bona sua creditoribus diuidentia pro rata, vide supra cap. 16. dub. 8. D. Thom. quæst. vlt. a. 6. ad 3. aperte docet, non teneri in sæculo remanere vt soluat, sed sufficere si bonis præsentibus cedat creditoribus: quia persona hominis liberæ non est pro pecunia obligata. Idem tenet Siluester Religio 2. q. 4. vbi pro hac sententia citat Palud. Vldericum, Archidiaconum, Summam confessorum, Innocentium, Raynerum, & Hostiensem. In eadem sententia sunt ceteri Summistæ, Astenfis in Summa l. 6. tit. 19. q. 6. Angelus v. Religiosus n. 6. Rosella Religio 2. n. 5. Fumus v. Religio n. 5. vnde hæc sententia est probabilis. Vide Medinam C. de restitut. q. 3. caula 8. vbi pro vtraque sententia rationes adducit. Si obstrictus debitis admittus fuerit, non tamen idcirco obligatur Monasterium, nisi quatenus ex ingressu factum est locupletius.

33
6. Quæstio-
res.

Sexto, Qui reddendis rationibus sunt obnoxij, quia illarum persona est ad illam functionem obstricta; et que solum vna actio transiens, secus si ad aliquod officium longo tempore obeundum se obstrinxit; v. g. ad docendum aliquot annos, ad seruendum perpetuo in hospitali, ad Rempubl. administrandam. In his & similibus contractibus videtur exceptus status perfectionis; vnde intelligitur tacita conditio, Nisi Religionem ingressus fuero; non enim illi contractus ita interpretandi sunt, vt censatur promissor sibi aditum ad statum perfectionis voluisse intercludere: id enim magna esset insipientia. Vnde etiam si iuramento sint confirmati, nihilominus potest intrare; quia iuramentum sequitur naturam promissionis, & actus super quem cadit, vt dictum est c. 17. dub. 7. Vide Siluestrum Religio 2. q. 5.

34
7. Filius.

Septimo, Filius non potest intrare Religionem, si parens eius graui egestate prematur, & ipse nequeat illi, nisi manendo in sæculo, prouidere. Ratio est; quia iure naturæ tenetur eo casu parentem alere. Ita diuus Thomas quæst. vlt. ar. 6. & quodlib. 3. artic. 16. Idem dicendum de parente, si filius simili necessitate prematur. Non tamen est ea obligatio erga fratres & sorores, quia non est inter illos vlla dependentia, sicut inter parentes & proles: parens enim proli alimenta debet iure naturæ, quia est fructus eius, cui dedit esse; vnde debet ei conseruationem & educationem donec se possit iuuare; vt videmus in animalibus. Item est veluti pars ipsius, vnde debet illi alimenta sicut sibi ipsi. Filius parenti, quia est principium ipsius & radix vnde accepit esse: quare lege gratitudinis tenetur. Sorores & fratres non habent inter se illud vinculum.

Illud tamen quod dictum est, *Filium non posse Religionem intrare patre multum egente*, limitandum est, nisi forte ita res sint constituta, vt non possit diutius in sæculo sine dispendio salutis, id est, absque probabili periculo peccati mortiferi, remanere; quia non tenetur causâ parentis se tali periculo exponere. Ita Siluester Religio 2. q. 7. ex Richardo.

Si filius parente in graui necessitate constituto professus fuerit, tenetur egredi, si aliter ei subuenire non potest: quia ingredi non poterat, obligatione subueniendi iam contracta. Ita Nauarrus c. 14. num. 14. & comment. 3. de Regularibus, num. 45. & Ioannes Maior in 4. d. 38. quæst. 2. professio tamen non est irrita; sed suspenditur executio donec parenti prouiderit. Si verò incidit parens ex

improviso in hanc egestatem post filij professionem, non tenetur filius egredi; nec verò potest repugnante Prælo. Ita diuus Thomas quodlib. 3. art. 16. & 2. 2. quæst. 101. artic. 4. ad 4. Caietanus ibidem, Siluester supra. Ratio est, quia iam mutauit statum, nec subest amplius patriæ potestati, sed Prælati: vnde illi obligationi superuenienti non tenetur satisfacere, nisi quantum potest saluo statu. Sicut si esset coniunctus matrimonio, non teneretur deserere vxorem, ad subueniendum patri. Hoc intellige de egestate non extrema, sed minori, in qua potest vtrumque viuere, licet multa incommoda perferat: si enim esset extrema, teneretur filius omni modo subuenire, etiam egrediendo Religionem; petita tamen prius licentia, etsi non obtenta: quia id etiam externo in pari necessitate præstare deberet.

Dixi supra, non teneri egredi; quia etsi non teneatur, tamen potest, obtenta licentia à Prælo. Hoc tamen casu non potest deserere habitum, nisi forte in habita non posset succurrere, de quo vide Nauarrum comment. 3. num. 44.

35
8. Pueri.

Octauid, Pueri non possunt Religionem ingredi sine consensu parentum, vel tutorum, ante annos pubertatis: quia subsunt illis quoad vitæ dispositionem. Vbi verò ad annos pubertatis peruenierint, efficiuntur sui iuris in iis quæ ad statum vitæ pertinent; vnde possunt Religionem ingredi, etiam inuitis parentibus; etsi ante 16. annum completum non possint professionem facere, de quo vide diuum Thomam quæst. 88. art. 9. & 101. artic. 4. & q. vlt. ar. 4. & Hieronymum Platam de bono status Religiosi.

Supradictis exceptis, ceteri liberè possunt Religionem intrare; quia ab alterius consensu non pendent. potest tamen esse aliquod impedimentum ex parte Religionis; idque vel ratione iuris communis, vel ratione proprietarum constitutionum. Ratione iuris communis, vt si Monasterium vel domus non possit plures commodè alere ex suis redditibus vel conseruatis elemosynis. Ita Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 4. Imò si Monasterium est feminarum, viuens ex redditibus, receptio est irrita, si plures recipiantur, quam sine penuria possint sustentari, cap. Periculoso. §. Sanc. de statu Regul. in Sexto. Huic tamen incommodo solet occurrì per dotem, quam communiter exigunt huiusmodi Monasteria, de qua supra cap. 35. dubit. 12. & 23.

37
Illegitimus quoque non potest admitti in Religionem in qua pater eius siue ante siue post natiuitatem professus fuerit, si adhuc sit superstes; vt habet Gregorius XIV. in sua constitut. in qua ea, quæ Sixtus V. statuerat de illegitimis, reuocantur ad terminos iuris communis.

Ratione proprietarum constitutionum excluduntur à quibusdam Religionibus, homicida, infames, nati ex Iudæis, &c.

DUBITATIO IV.

Vtrum aliquis possit compelli ad Religionem.

38
R Espondeo, Neminem posse compelli, nisi qui expressè vel tacitè seipsum sponte obligauit. Probatur Primò, Quia quisque in statu vitæ deligendo

Si in extrema.

35
8. Pueri.

36

Impedimentum à iure.

37
Illegitimus.

38
Neminem posse compelli.

ligendo est sui iuris : non enim par est vt tantum onus ex alieno arbitrio pendeat. Secundò, Nemo potest compelli ad religionem Christianam amplectendam, quam tamen Deus omnibus præcipit, tamquam necessariam ad salutem : ergo multò minùs ad statum vitæ religiosæ, quem Deus omnibus liberum esse voluit, quique ad salutem non est necessarius. vide supra cap.40.dub.8. Tertio, Quia hic status est eius conditionis, vt non possit ei satisfieri nisi quis sponte sua, & ex interno affectu illum colat & seruet : magis enim pertinet ad internam reformationem affectuum, quàm ad disciplinam externam. Quarto, Quia eius excellentia & sublimitas postulat vt sponte & ex amore, non compulsione externa, suscipiatur. Vnde contra dignitatem eius esset, si quis aliàs non obligatus cogere hunc statum suscipere. Ob eandem causam Deus noluit aliquem compelli ad religionem Christianam: vtilitas enim & excellentia, cum interna vocatione & illuminatione, abundè sufficit ad hominem alliciendum. vnde omnibus dicitur, qui potest capere capiat. Denique si hic status iniuris imponi posset, & obligatio ad illum extorqueri, cederet in maximum animarum laqueum; quia vota Religionis non nisi à volentibus & animo bene à illa affectis, seruari possunt.

39
Decreta
Concilij
Trident.
circa pro-
fessionem,
& renun-
tias, hono-
rum.

Hinc Concilium Trid. sess. 25. de Reg. c. 16. 17. & 18. vt libertati ingredientium consuleret, & omnem coactionem auerteret, statuit sequentia:

Primò, Cap. 16. *vt nulla renuntiatio aut obligatio facta ante professionem, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiusvis pie causæ valeat, nisi facta sit cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij; idque intra duos menses proximos ante professionem; & vt etiam sic facta non sortiatur effectum suum, nisi secuta professione. aliter facta, etiam si cum expressa huius fauoris renuntiatione, etiam iurata, sit irrita & nullius effectus.*

Renuntia-
tio Noui-
torum
irrita.

Secundò, *Nam ante professionem, excepto victu & vestitu Nouitij vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque preterito a parentibus vel propinquis aut curatoribus eius, Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur. idque præcipit dantibus & recipientibus sub pœna anathematis.*

Tertio, *vt abeuntibus ante professionem, omnia, quæ sua erant, restituantur.*

Puellarum
ingressus.

Quarto, Statuit c. 17. *vt puella non suscipiat habitum nisi duodecim annis sit maior, nec emittat professionem, nisi Episcopus, vel eo absente aut impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, diligenter explorauerit virginis voluntatē, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Præfata autem teneatur Episcopum de tempore professionis vnum mensem ante certiore reddere; si omiserit, est suspensa ab officio quamdiu Episcopo videbitur.*

Excommu-
nicantur
cogentes
mulierem
ingredi
Monast.

Quinto, Cap. 18. *Anathemati subicit omnes quicumque dignitate fungentes, qui quomodocumque coegerint aliquam virginē vel viduam, vel aliam mulierem iniuria (preterquam in casibus infure expressis) ad ingrediendum Monasteriū, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis: vel ad emittendam professionē. Item qui consilium, auxilium, vel fauorē dederint. Denique qui consocij, eidem actui presentiam vel consensum vel auctoritatē interposuerint.*

Impediētes
mulierem
ingredi
Monast.

Sexto, *Anathemati subicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine ista causa impederint.*

Circa prædicta, maximè circa primum, secundum, & tertium, Notandum est Primò, Non prohiberi testamentum : quia non est renuntiatio vel obligatio, nec adimit libertatem egrediendi, cum nullam vim habeat ante professionem. Idem dicendum de omni alia dispositione conditionali, collata in tempus professionis.

40
Testamen-
tum.
Renuntia-
tio condi-
tionalis.

Secundò, Et si Concilium non loquatur expressè nisi de renuntiatione & alienatione Nouitij; tamen idem intelligendum videtur de ea, quæ facta est ante nouitiatum, contemplatione Religionis ingrediendæ; nam eadem ratio locum habet; hæc enim potest non minùs cogere ad Religionem, quàm ea, quæ facta est in nouitiatu. Vnde etiam censetur facta in fraudem huius Canonis.

Renuntia-
tio facta
ante noui-
tiatum.

Tertio, Id non habere locum in Societate Iesv; nam Concilium expressè excipit Societatem his verbis: *Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innotare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesv iuxta pium eorum institutum à S. Sede Apostolica approbatum, Domino eius Ecclesie inferuire possint.* Itaque ante ingressum validè potest quibus disponere in quascumque causas. Ingressus etiam potest disponere, sed iuxta formam in constitutionibus præscriptam, & à Sede Apostolica confirmatam, quam Concilium hic appetè approbat. Societas tamen nullum ius ad bona suorum prætendit.

41
Societas
Iesv.

Circa Quintum, vbi dicitur, *preterquam in casibus iure expressis.* Notandum est, iure excipi, Primò, Eos, qui sponte Religionem vouerunt : hi enim compelli possunt vt votum impleant : sicut is, qui sponsalia contraxit, potest compelli vt procedat ad matrimonium. Deinde quando coniunctus dispositio iuris, consentit vt alter profiteatur Religionem, vel sacros Ordines suscipiat; tunc enim compelli potest vt ingrediatur Monasterium, eo modo, quo supra dub. 3. n. 27. dictum est. Tertio, Qui crimen aliquod commiserunt, ob quod iubentur derudi in Monasterium. hi quoque non tenentur profiteri, sed solum pœnitentiæ opus impositum peragere, vt ex supradictis colligitur. Et confirmatur Primò; Quia nemo potest in pœnam cogi ad matrimonium : ergo neque ad Religionem. Secundò, Quia status supernaturalis non potest habere rationem pœnæ, cum requirat liberam electionem, pœna autem sit contra voluntatem. Itaque solum ibi præcipitur inclusio & alia opera pœnitentiæ eidem imponenda.

42

Ob crimen
non potest
ad profes-
sionem
compelli.

DUBITATIO V.

Ad quid teneatur qui vouit ingredi Religionem.

Notandum est, posse voueri Religionem vel in genere, vel in particulari. In genere dupliciter. Primò, Indeterminatè, vt cum eo animo voues, vt si non admittaris in vno Ordine, velis ingredi alium. Secundò, Determinatè, vt si dum voues, non determines hunc vel illum Ordinem; sed tamen non intendas ingredi nisi vnum, quem habita matura deliberatione feliges.

43
Duplicitè
vouetur
Religio in
genere.

In particulari verò, cum certus aliquis Ordo ab initio deligitur.

Qui primo modo vouit, hic si non admittitur in vno Ordine, debet tentare alium; idque ad tres, genero primo vel mocho.

vel quatuor, prout expresse vel tacite intendit. ita Silvester Religio 2. qu. 16. Sotus lib. 7. de Iustitia q. 2. ar. 1. ad 3. & alij. Dico, tacite; quia spectanda hic est etiam habitualis affectio, in qua erat dum voueret, & quidnam rogatus fuisset responsurus. Si in Ordinibus suæ Prouinciæ non admittitur, non tenetur quærere extra Prouinciã, nisi fortè id intenderit. In dubio non presumitur intendisse; quia est insolitum vt quis ita se Religioni ingrediendæ velit obstringere, vt non admissus in Ordinibus suæ Prouinciæ, teneri se velit ad foris extra patriam sollicitandum. Si talis in probatione deprehendit se ad hunc ineptum, ideoq; egressus fuerit, tenetur probare alium, si verisimile est illum fore accommodatiorem; secus si bona fide non speratur melior successus.

Si secundo modo.

Qui secundo modo vouit, non tenetur ingredi nisi illum, quem post delegit; non enim mens eius fuit ad amplius se obligare. vnde si in probatione deprehendit se ineptum, non tenetur alium tentare; sed manet liber a voto. Si vno loci illius Ordinis receptus non fuit, tenetur tentare duo vel tria alia loca eiusdem Ordinis; si tamen spes est admissionis. Secus si nihil vel parum sper; quia non tenetur tentare, nisi cum spe probabili; nec ad amplius censetur se voluisse altringere. Itaque cessat obligatio voti, cum ex parte sua fecerit totum illum, ad quod tali voto se intendit obligare. Nec refert quod non sit ingressus; quia non vouit ingressum absolute, sed sub hac tacita conditione, Si admittar, quæ conditio non est in ipsius potestate, nisi quatenus pendet ab ipsius sollicitatione. vnde si per hanc posita non fuerit, censetur impossibilis.

44 Si tertio modo vouit.

Qui tertio modo vouit, nempe determinando à principio particularem locum, si ibi non recipiatur, non tenetur alia tentare, sed absolute cessat votum, quia conditio sub qua vouit ingredi, non extat, nec est in ipsius potestate vt extat.

Quatuor obseruanda.

Hic tamen quatuor notanda. Primò, Si impedimento aliquo temporali tenebatur, ob quod repulsus est, obligatur eo cessante se rursus offerre; quia solum videtur dilatus ad tempus. Secus si absolute repulsus est, tali impedimento non extante: quo casu non tenetur, etiam si postea illum reuocent, quia non videtur ipsius intentio fuisse se vltè obligare, si absolute repelleretur; alioquin semper deberet manere incertus & suspensus.

Si ipse est causa impedimenti.

Secundò, Si culpã suã impedimentum obiecit ne reciperetur, tenetur illud quantum potest tollere, & seriò ad laborare vt recipiatur. quia qui vouet ingredi, tacite etiam vouet opportuna media ad hoc adhibere, & impedimenta quantum in se est amouere; alioquin non seriò, sed delusoriè videtur Deo promississe.

Non tenetur in sacculo seruare ea que sunt Religionis.

Tertiò, Qui repulsam tulit, non tenetur in sacculo seruare ea que sunt Religionis, paupertatem, castitatem, obedientiam, &c. quia hæc non vouit, sed solum vouit se hæc voturum si admissus fuerit. Vnde nec admissus ad hæc tenetur, sed solum ad votum horum peracta probatione faciendum: quo facto, tenebitur. Sic qui vouit suscipere Ordinem sacrum, non tenetur ad horas, nec ad castitatem, priusquam Ordinem illum susceperit. Ethnici quoque etiam teneantur ad religionem Christianam; non tamen ad Sacramenta Eucharistiæ vel Pœnitentiæ, antequam religionem illam cum Baptismo susceperint. Hinc fit, vt si quis post

votum Religionis duxerit vxorem, & consummauerit matrimonium, non peccet petèdo debitum; quia nondum tenetur vinculo seruandæ castitatis. ita Caietanus q. 88. art. 3. Nauar. cap. 12. num. 47. Sotus supra, & alij. mortua tamen vxore tenetur Religionem ingredi, nisi fortè per ætatem vel corporis dispositionem factus sit ineptus, aut non possit nisi difficillimè duriorẽ illam vitæ rationem perferre: quam exceptionem tenet Lopez cap. 44. Idem dicitur docuisse Franciscus Victoria. & ratio est, quia non videtur rebus ita notabiliter mutatis, se voluisse ad hoc obligare. ad cautelam tamen expedit petere dispensationem; quia nemo securus Iudex in sua causa.

An mortua vxore tenetur intrare Religionem.

Quartò, Qui vouit ingressum certi Monasterij, vbi essentialia non seruantur, non tenetur ingredi, si non sit spes breuè futuræ reformationis: quia est ei periculum peruersionis. Nec refert etiam si habeat propositum omnia integrè seruandi, quia æstus communis consuetudinis facile abripit mentem. Excipe tamen, nisi sentiret se ad eò firmum, vt prudenter putet sibi non esse probabile periculum; quin potius speret se alios conuersurum. vide Nauarrum cap. 12. num. 46. & Maiorem in 4. d. 38. qu. 2.

Si essentialia non seruantur.

Petes Primò, Quid si non admittatur, nisi ad statum laicorum?

45 Si non admittitur nisi vt laicus.

Respondeo, Spectandam esse tacitam vel expressam mentem ipsius: si enim solum cogitauit de statu sacerdotum cum voueret, vel ita erat affectus, vt si rogatus fuisset, nolisset nisi ad illum statum in Religione suscipiendum se obligare; nõ tenebitur ex voto ad statum laicorum. Si dubium sit, spectanda est conditio & cursus vitæ, & qualitates personæ, & ex his coniectura faciendæ: nobiles enim mediocriter litterati, & studiosi adulescentes præsumuntur intendisse statum sacerdotum; milites & mechanici statum laicorum.

Petes Secundò, Quid si non solum vouit intrare, sed etiam profiteri & perseverare?

46 Si vouit perseverare. 1. Sententia, non differre.

Sunt duæ sententiæ. Prima est, Hunc non obligari ad amplius quam eum, qui solum vouit ingredi: hoc est, ad bona fide probandum an ea vitæ norma ipsi sit conueniens; & si deprehendat eam minus congruere, ob asperitatem vel aliam causam, non teneri. Ita Sotus l. 7. q. 2. ar. 1. ad 3. & Ioannes Peña apud Lopezium c. 45. & aliqui recentiores. Probatur Primò, Qui vouet ingredi Religionem, etiam tacite vouet perseverantiam; nam ingredi Religionem est fieri Religiosum: hoc autem perseverantiam includit: ergo est eadem ratio vtiusque voti. Secundò, Votum ingrediendæ Religionis ex dispositione Iuris includit hæc tacitam conditionem, Si bona fide deprehèdero in probatione eam mihi conuenire; idem enim constitutus est annus probationis: atqui eandem includit votum profitendi; quia vouens non intendit hoc votum exequi nisi secundum Iuris dispositionem, vtendo priuilegio anni probationis: alioquin frustra esset probatio. Tertio, Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 15. de Regul. irritam decernit professionem ante annum probationis impletum; ne videlicet adimatur Nouitio potestas retrocedendi, si intra annum deprehenderit formam illam viuendi sibi non cõgruere. Idem confirmatur ex cap. 16. vbi omnes renuntiationes suspendit in tempus professionis. Ex quibus videtur colligi, mentem Concilij esse, vt nemo possit se absolute Reli-

Religioni obstringere ante professionem; sed omnem talis voti promissionem intelligendam conditionaliter, nimirum, Si bona fide deprehendero illum Ordinem mihi conuenire.

46 Hæc sententia est probabilis, & iuxta illam qui vouit perseverantiam, potest egredi, si bona fide in probatione putet sibi eam non esse accommodam.

Contra-
rium pro-
babilis. Contraria tamen est probabilior, quam expressè tenet D. Thomas 2. 2. quæst. ult. art. 4. in corp. Caiet. ibid. Nauarr. cap. 12. num. 47. & alij.

Probatum Primò, Qui dicit, Voueo ingredi Religionem, & in ea profiteri vel perseverare, amplius intendit promittere Deo, & se magis obligare quam qui more consueto vouet solum ingredi. cur enim hoc addat, nisi ut præcindat sibi libertatem egrediendi?

Secundò, Si quis impetraret dispensationem in voto Religionis, & non exprimeret se vouisse non solum Religionis ingressum, sed etiam perseverantiam, subreptitia censeretur dispensatio, ut docet Nauarrus supra: ergo est amplius.

Tertiò, Etsi non possit quis ante exactum annum probationis obligari professione ad perseverandum in ea Religione, potest tamen se obligare voto simplici: nunquam enim tale votum redditur irritum, nec restringitur ut vim non habeat in euentum, si aliquid in Religione displicuerit.

Vouens in-
gredi Reli-
gionem. Quartò, Qui vouet se ingressurum Religionem, solum duo censetur promittere; nempe bona fide probare, & si in probatione deprehenderit eam sibi conuenire, profiteri. vnde si bona fide iudicet eam sibi minus conuenientem, ob illius asperitatem, vel ingenium suum præfractius, vel quia metuit inconstantiam, non tenetur, ut docent Caietanus & Nauarr. supra. Imò non tenetur, si modus ille viuendi displiceat, ut Nauarrus ait: vel si ob aliquam causam non sit gratus; ut vult Caietanus.

Quod tamen intelligendum est, si displicentia illa sit ex causa iusta, vel non possit facile superari. Item nisi amplius vouendo intendisset: tacita enim intentio potissimum in huiusmodi expendenda. In dubio tamen non videtur amplius intendisse, quam quod dictum est. Qui verò etiam perseverantiam vouit, videtur se ita voluisse obstringere, ut non possit egredi vilo modo, si iudicaretur idoneus, & ratio vouendi esset tolerabilis; nam tantum se obligat quantum potest: ergo nisi tanta sit difficultas ut censeatur intolerabilis, & votum per se cesset ratione impossibilitatis, vel ineptitudinis, obligabitur. poterit tamen in hoc voto dispensare Episcopus, ut docet Sancius lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 18. quia hoc non est dispensare in voto Religionis, sed in modo exequendi.

Qui vouit
perseueran-
tiam.

Ad primam rationem alterius sententiæ: Qui vouet solum ingredi Religionem, non censetur se obstringere ad perseverantiam, nisi sub hac conditione, Si deprehendero Religionem illam mihi conuenire. Itaque si ob aliquam causam minus conueniat, non tenetur. alter verò obligat se absolute, modò sit idoneus: quamuis enim ob aliquam causam minus conueniat, paratus est id incommodi tolerare.

Ad secundam: Qui vouet profiteri, videtur renuntiare privilegio probationis, quantum est ex parte sua: non tamen frustra ei conceditur probatio, tum quia debet innotescere Religioni, ut sciant

utrum ipsis conueniat, tum quia debet experiri an possit formam illam viuendi perferre.

Ad tertiam: Concilium non admittit potestatem sese obligandi voto simplici ad perseverandum; sed solum voto solemnium.

Quæ diximus, pertinent in genere ad quosvis qui Religionis votum habent. Sed peculiaris difficultas est de coniugibus voto Religionis obstrictis, quid possint, quid non possint, & ad quid teneantur.

Dico Primò, Qui ante consummatum matrimonium vouit ingressum Religionis, non potest illud consummare siue petendo, siue reddendo. Ratio est, quia consummando redderet se impotentem implendi voti: semel tamen matrimonio consummato, potest liberè reddere, & etiam petere: quia id non est contra eius votum; nec voti executioni impedimentum obijcit, cum hæc ei facta sit impossibilis. simulatque tamen ei liberum erit exequi, tenebitur, ut si coniunx simul velit conuertì, si contingat coniugem committere adulterium, si ob suum adulterium repudietur à cõiuge, & licentia ingrediendi tacite vel expressè detur; si contingat coniugem damnari hæreticos, vel mori.

Dico Secundo, Si consummato matrimonio coniunx, v. g. maritus, vouit Religionem; vel id fecit absque consensu vxoris, vel cum consensu. Si absque consensu vouit, vel intendit statim implere, & sic votum est irritum; quia de re illicita: vel non restrinxit suum votum ad certum tempus, & ita præsumendum est illud referri ad tempus, quo libera erit ei executio. Non enim præsumendum peruersè factum, quod rectè fieri potuit. Si cum consensu eius vouit, valet votum: non tamen inducit obligationem exequendi absolute, sed sub conditione, si nimirum vxor præstare voluerit quæ Ius requirit; id est, ingredi Religionem, si est iuuenis, vel talis ut in eam cadere possit suspicio incontinentiæ; aut vouere castitatem in sæculo, si est vetula, & expers periculi. itaque hoc votum habet tacitam conditionem à Iure, Ius enim non aliter permittit huius voti executionem. Vnde si vxor postea nolit ea præstare quæ Ius requirit, maritus non obligabitur; quia deest conditio Iure requisita. Secus est in professione. hæc enim semper fit absolute, vnde statim valet, vel est irrita, ut patet ex dictis dubit. 3. Quòd si maritus eo casu ingressus fuerit, & professionem fecerit, valebit professio, etsi contra Ius facta sit. multa enim non rectè fiunt, quæ facta tenent, ut patet c. Ad Apostolicam. 16. de Regular. & transf. Ita docet Glossa in cap. Ex parte 9. de conuers. coniugat. Vtrum verò eo casu sit restituendus vxori, dubium est.

Si vouit
ante con-
summationem.

An vir sit
restituendus. Videtur non restituendus, sed ipsa potius compellenda ad Religionem: nam consentiendo in ipsius ingressum, videtur tacite vouisse Religionem, & ita sentiunt multi DD. de ea quæ Iuris ignara non fuit, ut supra dubit. 3. dictum est. Valdè tamen probabile est, quando vxor quæ consensit, non potest induci ad vouendam continentiam, vel Religionem ingrediendam, virum etiam professum ipsi esse restituendum. ita habetur expressè cap. 1. de conuers. coniugat. Dicimus quòd nisi vxor ad Religionem transferit, aut perpetuam castitatem seruare promiserit, vir potest & debet de Monasterio reuocari. Nec distinguit, sicut nec alij Canones vsquam distinguunt, inter eam quæ scituit Ius, & quæ ignorauit. Vnde sequitur, etiam si ipsa illum non repetar,

Si professus fuerit.

An vir sit restituendus.

repetar,

repetat, tamen esse restituendum. Si tamen ipsa vouit castitatem, non debet ei restitui. vt ex d. c. 1. aperte colligitur. sed ipsa, si iuuenis sit, concludenda est in monasterio ad custodiam. si autem vouit ingressum Religionis, compellenda est vt exequatur.

43
Si pari
consensu
uouerunt.

Dico Tertio, Si consummato matrimonio pari consensu & ex pacto uouerunt ingressum Religionis, ualet votum. si tamen alter resiliat, alter non tenetur exequi: tum quia Iure non potest alter absque altero statum mutare, vt patet ex dictis: tum quia tale votum habet tacitam conditionem, Si coniunx perseverauerit in proposito. Itaque etiam si contingeret alterum qui resiliit mœchari, alter tamen non obligaretur: quia conditio sub qua votum obligabat, non extat. Cùm enim sic ex pacto uouent, mens illorum non est se obstringere seorsim & independenter ab altero, sed utroque statum mutante, sicut Ius præscribit; neque præsumuntur aliud intendisse nisi de ea intentione constet. Hoc tamen quod de mutatione status dicitur, intellige, quando uterque Religionem vouit. Si enim ex mutuo consensu vxor uoueat continentiam tantum, & maritus Religionem vel Ordinem sacrum, adhibenda est distinctio. Si enim vxor sit vetula, id est, sexagenaria, & expers periculi, utriusque votum erit validum, & vir poterit votum suum exequi, etiam si vxor suum seruare nolit. Ratio est, quia quando est vetula, Iure non requiritur aliud ab vxore, quam vt continentiam uoueat. hoc enim sufficit, vt vitum à suo iugo abfoluat, & sui iuris efficiat. Si autem erat iuuenis, neutrius votum obligabit: non viri, quia Iure non potest ordinari secundum veriore sententiam, nisi vxore uouente ingressum Religionis. quamuis enim id Iure non sit expressum, nisi de vxore eius qui promouendus ad Episcopatum, de qua id dicitur cap. Sanè, de conuers. coniugat. tamen de vxoribus omnium qui Sacris initiandi, colligunt id DD. ex eo quod non minor sed maior sit ratio, cùm vir promouetur ad Ordinem sacrum in sæculo, quam cùm ipse ingreditur Religionem: ob maius periculum incontinentiæ ex libera conuersatione cum vxore manente in sæculo. Itaque si vxor debet ingredi Religionem, vt vir possit ingredi, potiori ratione debet ingredi, vt vir possit ordinari. Non etiam obligat votum vxoris; quia pender ad obligatione viri, cùm sit respectiuum: habet enim se per modum contractus, Facio vt facias. Vnde si viri votum non obligat, nec vxoris.

Aduerte tamen, non esse improbabile, utriusque votum valere: quia probabile est, cùm agitur de ordinatione viri, sufficere votum continentie vxoris in sæculo, vt colligitur cap. Coniugatus, iuncta Glossa in fine. Secus cùm agitur de ingressu viri in Religionem, propter expressos textus in contrarium.

An possint
petere de-
bitum.

Petes, Vtrum in prædictis euentis possint coniuges petere & reddere debitum. Respondeo, non esse dubium quin possint, quando communi consensu uouerunt ingressum Religionis. tunc enim vsus coniugij nullo modo repugnat voto, nec impedit eius executionem. Nec refert, etiam si matrimonium nondum erat consummatum: quia etiam eo consummato possunt ingredi. quod si vxor tunc nolit, peccat mortifere, sed maritus excusatur, quia per ipsum non stat, quod minus fiat exe-

cutio. Similiter possunt, quando vxor vetula vouit continentiam, & maritus susceptionem Ordinis sacri, quia cùm votum vxoris sit respectiuum, referenda est eius executio ad tempus quo maritus ordinabitur. ita Sancius lib. 9. de matrimon. disput. 37. num. 7. præsumitur enim, etsi nunc votum faciat, vouere solum seruare castitatem in futurum, si vir ordinatus fuerit. vnde est pendens à conditione futuri; quæ si non exiterit, euanescit votum. itaque ante impletam conditionem non obligatur. hoc intelligo, nisi ipsa expressè aliud intenderit. In prædictis tamen casibus non tenentur reddere debitum; quia videntur renuntiasse iuri exigendi & cogendi, hoc ipso quo dederunt sibi mutuo potestatem mutandi statum ad perpetuam continentiam: imò plerumque etiam expressè hæc renuntiatio fieri solet. vide cap. Dudum. 20. de conuers. coniugat.

Dico Quarto, Quando ante consummatum 49
matrimonium communi consensu uouerunt, vxor 49
continentiam, maritus ingressum Religionis; si 49
vxor erat vetula, non impediuntur petere & red-
dere debitum: si autem sit iuuenis, vir nec potest 49
reddere nec petere. lig. vo-
ueat.

Prior pars patet: Quia vir nondum tenetur voto castitatis, nec actu coniugali redditur impos voti: votum enim continentie vxoris cum renuntiatione expressa vel tacita iuris coniugalis sufficit, vt possit ingredi Religionem, etiam consummato matrimonio. Similiter vxor non tenetur seruare castitatem ante mariti ordinationem vel professionem, vt ostensum est.

Altera pars probatur: Quia maritus consummando matrimonium reddit se inhabilem ad votum suum præstandum. nam votum continentie vxoris iuuenis non sufficit vt consummato matrimonio possit maritus Religionem capeffere. Imò non potest vxor eo casu debitum reddere marito petente, si nondum expletum est tempus constitutum exequendo voto. quia efficeret illum inhabilem executioni voti, & aliàs nullum ius habet ad illum actum, quamdiu maritus non est in mora præstandi sui voti, quod si tempus arbitrio prudentis effluerit, ita vt maritus incipiat esse in mora, & monitus nolit ingredi, poterit vxor reddere debitum petenti, & etiã petere: quia marito nolente ingredi iuxta conuenta, soluitur ipsa voto, nec tenetur diutius expectare, sed potest vt iure suo. Ita Sancius supra n. 8. Mora enim mariti ita illam eximit voto, vt amplius non obligetur. alioqui posset illam maritus semper suspensam tenere, & cogere sine fine expectare. Si tamen velit, potest ei negare debitum. quia potest velle vt stet contractu, quo maritus iuri suo renuntiauit.

Porro consummato semel matrimonio, vir non potest ingredi vxore iuvene inuita; quia & ipsa simul ingredi deberet, ad quod cogi nõ potest, cùm non promiserit. Simulatque tamen licite poterit, tenebitur; vt si contingat illam adulterium committere. itaque viri votum Religionis ingredienda non extinguunt, sed solum confopitur & suspenditur per matrimonij consummationem. quia posito voto continentie vxoris in prædicto casu, fit absolutum, nec amplius pender ab vlla conditione: sicut in contractibus alter tenetur absolute, cùm alter suum munus præstitit. Votum autem castitatis vxoris extinguunt absolute per moram viri; quia pender à conditione futuri, nempe si vir con-

constituto tempore Religionem ingressus fuerit. Quòd si vir non fuerit in mora, non extinguitur. vnde et si tunc consummet ipsa matrimonium siue petendo, siue reddendo, nihilominus manet obligata voto ad seruandam castitatem, cum ille Religionem debito modo ingressus fuerit. vt si facto diuortio ob adulterium vxoris, maritus votum suum impleat. quo etiam casu non poterit ipsa etiam petenti debitum reddere, ne rursus in eadem inhabilitatem implendi voti illum coniciat, vt notauit Sancius supra.

DVBITATIO VI.

Ad quid teneatur qui obstrinxit se voto castitatis perpetue.

NOtandum est, hoc votum factum esse vel ante initium matrimonium; vel post initium quidem, sed nondum consummatum; vel matrimonio iam consummato; idque vel seorsum, vel ex mutuo consensu.

Dico Primò, Qui obstrinxit se voto castitatis ante matrimonium, tenetur ad multa.

Primò, Tenetur abstinere à matrimonio: si enim contrahit, vel id facit animo consummandi, & sic peccat contra votum; vel animo ingrediendi Religionem ante consummationem; & sic facit iniuriam, decipiendo coniugem; quæ si id sciuisset, nolisset contrahere: & fortè damnum incurreret, quia fortasse putabitur deflorata, nec tam commodis potietur nuptiis. etsi enim coniunx possit intrare Religionem ante matrimonium consummatum, si Deus illi interea hanc voluntatem inspiret: tamen quando contrahit, non potest animo absolutè ingrediendi habere; neque Ius id ei concedit: solum tribuit ius ingrediendi, supponens contractum bona fide esse initum. Accedit quòd contrahens matrimonium ordinariè se exponat periculo consummandi, cui is, qui vototeneatur, se obicere non potest.

Dices, Cap. Ex publico 7. de conuers. coniugar. conceduntur nouis coniugibus duo menses, vt possint ingredi Religionem: ergo qui tali mente contrahit, vitur iure suo; & cap. Commissum 16. de sponsalibus, dicitur, cum, qui iurauerat puellam sponsalia, & postea volebat ingredi Religionem, tutius facturum si antè contraheret, & potè ingredi Religionem: ergo nulla fit iniuria per talem contractum. Confirmatur, quia aliàs qui tali animo contraxisset matrimonium, non posset postea Religionem intrare.

Ob has rationes quidam Doctores putant non esse peccatum, post votum castitatis contrahere matrimonium animo firmo ingrediendi Religionem. Ita Guilielmus Altifod. l. 3. Summæ tract. 2. qu. 3. Scotus in 4. d. 38. versus finem, Angelus, Matrimonium 3. Impedimento 5. n. 1. Caietan. v. Matrimonium, c. 1. Iosephus Angles 2. p. q. 11. de impedim. matrimonij: quæ sententia est satis probabilis.

Sed quod diximus est verius. Nec obstant rationes allatæ: nam cap. Ex publico, concedit quidem duos menses; (quia heri potest vt Deus interea alteri eorum inspiret propositum Religionis) non tamen concedit vt animo determinato intrandi contrahas. Cap. Com-

missum, loquitur de eo, qui non staterat quidquam de ingredienda Religione, sed dubitabat; & tamen iurauerat se contracturum matrimonium cum quadam ad certum diem: hic enim urgente iuramento tenebatur contrahere; quia non habebat determinatum propositum Religionis, quo excusatur.

Ad Confirmationem: Quidam putant talem non posse Religionem ingredi, propter illam fraudem in contractu admissam. Sed verius est posse: quia non fecit iniuriam nisi in contrahendo: imò propriè non fecit iniuriam eo animo contrahendo, sed solum contra charitatem peccauit: animus enim interior non facit actum externum iniustum, qui alioquin per se iustus erat: at ille contractus exterior per se erat iustus: ingrediendo quoque iniuriam non facit; quia Ius id absolutè concedit. sed neque in eo contra charitatem peccat; quia non tenetur se tanto bono priuare ob aliquod incommodum, quod fortè alteri obueniet, cum suo iure vtatur. quare si votum Religionis habebat, non solum poterit, sed etiam tenebitur intrare, non obstante tali contractu. In ipso tamen contractu, contra charitatem, si causa iusta non suppetebat, peccauit, vt dictum est.

Aduerte tamen, licitum esse eo animo contrahere, si iusta causa subit; vt si metu compellaris, qui tamen non cadit in virum constantem; si id facias vt proles antè suscepta legitimetur, si non possis aliter parentum custodiam euadere, qui te continent ne Religionem ingrediaris, &c. si aliàs graue scandalum timeretur. de quo vide Sancium lib. 1. de matrimonio, disp. 43. nu. 8. & Henriquez lib. 2. de matrimonio, cap. 2.

Secundò, Si voto castitatis obstrictus matrimonium contraxerit, tenetur abstinere illius vsu; ita vt non possit petere vquam debitum; quamuis consummato matrimonio teneatur tacite vel expresse petenti reddere. Est communis DD. vide Nauar. cap. 16. num. 30.

Solum dubium est, An possit consummare matrimonium reddendo? Plerique DD. docent non posse, sed teneri ante consummationem ingredi Religionem, vt possit voto suo satisfacere; hanc enim solum rationem illius seruandi superesse. Nauarrus cap. 12. n. 80. Silu. Matrimonium 7. q. 5. & ferè ceteri Summistæ. insinuat D. Thomas 2. 2. q. vlt. a. 8. in 3. argumento.

Sed contrarium non minus est probabile, & fortè verius, scilicet non teneri intrare Religionem vt votum castitatis seruet; & si coniugi castitatem persuadere nequit, posse reddendo consummare. Ita Sotus in 4. distinct. 38. q. 2. art. 1. Corduba in Summa qu. 136. Angelus Matrimon. 3. Imped. 5. num. 2. & quidam alij recentiores. Probatur, Quia eo casu perfecta voti obseruatio censetur ei facta impossibilis; vnde non tenetur, nisi quatenus potest pro eo statu rerum, videlicet non petendo debitum. Antecedens probatur; quia illud censetur alicui iure impossibile, quod facere non potest per media ordinaria seu ad id ordinata: atqui iste est in eo statu, vt per media ordinaria non possit absolutè continentia seruare: ergo, &c. Nec obstat quòd possit illam seruare capessendo statum Religionis: quia hic status non est medium ordinarium eò pertinens. Secundò, Quia iste nec expresse Religionem nouit, vt suppono, nec etiam implicite; non enim censetur ei fuisse animus eo

euentu

50
1. Tenetur
abstinere à
matrimonio.

An possit
contrahere
animo in-
grediendi.

Sententia
quorundam.

Responde-
tur ad ra-
tiones.

Potest in-
trare Reli-
gionem.

51
Quando li-
citur con-
trahere
post votum
castitatis.

52
2. Tenetur
abstinere
vsu matri-
monij.

An possit
consummare
reddendo.

53
Possit con-
summare
reddendo.

euentu se ad Religionem obstringere, nisi de contrario constet: non enim homo rem quantumvis arduam semper paratus est aggredi ut votum feruet. Tertio, Religio est status supernaturalis, consistens maxime in interiore affectu & animi promptitudine, & obligans ad multa difficilia: ergo nemo ad eam cogendus, nisi qui sponte sciens & volens se ad illam obstrinxerit. Quarto, Quia alioquin qui vouisset Ordinem sacrum, & duxisset uxorem, cogendus esset ad Religionem. Nam non potest hoc votum ad executionem perducere, nisi Religionem ingrediatur: atqui id est nimis durum, nec DD. id fatentur. Quinto probari potest efficaciter cap. vnic. Extrauag. de voto, vbi Ioannes XXII. statuit, ut is qui post matrimonium ratum suscepit Ordinem sacrum, moneatur ut Religionem ingrediatur. Deinde addit: *Quod si forsitan renuerit adimplere, ipsum, si sponsa eius insisterit, per censuras Ecclesiasticas compellendum decernimus contractum matrimonium consummare.* Vbi expressè supponit, quod possit renuere, ut inquit Glossa ibidem v. Renuerit. alioquin deberet compelli. Itaque si is qui suscepit Ordinem sacrum, & habet solenne votum castitatis, non tenetur Religionem ingredi, ut voto suo satisfaciat; multo minus qui solum habet votum simplex castitatis. Denique si compelleretur ad Religionem, graue incommodum inferretur uxori, & malus exitus ex tali compulsionem effectum metuendus.

Idem dicendum, etiam si contracto iam matrimonio rato votum fecerit: nisi forte sciuerit se alia ratione continentiam seruare non posse, & nihilominus, cum id aduerteret, voluerit se voto ad illam obstringere. Tunc enim presumitur se etiam ad Religionem voluisse obligare, qui enim adstringit se ad finem, etiam adstringit se ad medium sine quo videt finem obtineri non posse. Secus si id actu non aduerteret, ita Sancius lib. 9. de matrim. disp. 34. num. 3.

53
3. Tenetur non reddere.
Tertio, Si coniunx adulterium committat, tenetur alter, qui votum castitatis habet, non reddere illi amplius debitum, sed perfectè seruare suum votum. Ratio est, quia tenetur illud seruare quantum potest sine iniuria coniugis; tunc autem potest sine iniuria. Idem dicendum secundum quosdam, si alter ante contractum sciebat votum alterius: tunc enim non habet ius exigendi; quia mala fide contraxit: sciebat enim se non posse rem Deo consecratam ad vsum profanum conuertere, & alterum non posse eam tradere. vnde sibi imputet quod matrimonio suo uti non possit. secus quando bona fide contraxit; quia absque culpa sua non tenetur seruare continentiam, quam non promisit.

Sed contrarium in priore casu verius puto; quia per matrimonium transfuit in alterius potestatem. Vnde et si coniunx petendo peccet in Deum, ut ratio iusta probat; tamen alter tenetur reddere, quia sui corporis potestatem non habet, sed coniunx. nullo tamen modo potest petere. posset tamen alter in penam à Iudice priuari potestate petendi, quia id meretur.

Quarto, Si coniunx obierit, tenetur absolute seruare castitatem, nec potest alteri rursus conubio iungi; quia obligatio est perpetua, id est, usque ad mortem; estque præstanda quantum status præsens patitur.

Quinto, Si votum castitatis vel Religionis præcedat sponsalia, reddit ea irrita, et si iureiurando firmata fuerint. ratio est, quia executio est peccatum. quod enim Deo consecratum est, non potest sine sacrilegio alteri promitti vel donari. Estque communis sententia DD.

Si verò sequatur post sponsalia, est dubium. Multi enim Doctores volunt sponsalia, etiam iurata dissolui per votum castitatis superueniens, eò quod intelligatur exceptus status perfectior, qualis habetur per votum castitatis. Ita tenent Richardus in 4. d. 27. artic. 3. quæst. 4. Paludanus d. 38. q. 3. artic. 3. Maior dist. 27. q. 5. Sotus ibidem q. 2. art. 5. Caiet. v. Peritium cap. 2. Henriquez lib. 1. de matrimonio cap. 14. numero 4. & multi Canonistæ.

Alij negant sponsalia per votum castitatis superueniens dissolui, sed esse implenda volente parte. Ratio est, quia tale votum fieri non potuit in præiudicium sponsæ: rem enim alteri promissam non posse Deo dicari per votum castitatis. secus de voto Religionis; quia hoc votum in sponsalibus iure censetur exceptum, cum Ius tribuat facultatem ingrediendi Religionis, etiam post matrimonium ratum nondum consummatum: hoc tamen non potest ostendi de voto castitatis. Ita Holtiensis, Innoc. Ioannes Andreas, Panor. Archidiaconus in cap. Rursus 6. Qui Cler. vel vouentes, &c. Palud. dist. 27. q. 1. art. 3. casu 5. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 2. Siluester Matrimonium 7. quæst. 5. dicto 5. & v. Sponsalia q. 7. Tabiena eodem, q. 10. Fumus eodem, nu. 12. Nauarrus cap. 22. nu. 27. & multi recentiores.

Vtraque sententia est valde probabilis, & secunda in praxi. secunda tamen est iuri conformior: quia iure probari non potest, conditionem melioris vitæ in sponsalibus censeri exceptam, præter statum Religionis. imò Ecclesia talem cogere solet vel Religionem ingredi, vel sponsalia perficere. Sed hæc res non est huius loci: de qua vide plura apud Sancium nostrum lib. 1. de matrimonio, disp. 46.

Dico Secundò, Si alter coniugum (v. g. vxor) post matrimonium ratum nondum contummatum vouit castitatem, vel id fecit animo ingrediendi Religionem, vel absq; tali animo. Si animo ingrediendi Religionem, tenetur ingredi; si tamen aduertit, cum voueret, se aliter votum suum integrè implere non posse. Si autem id minimè aduertit, sed cum haberet animum ad Religionem, & supponeret se ingressurum, vouit castitatem, non tenetur ad Religionem: quia ad hanc voto se non obstrinxit: neque propositum ingrediendi illum obligat, ut ex supradictis constat. Tenetur tamen ad castitatem non minus quam si ante matrimonium vouisset; censetur enim integram castitatem vouisse. Vnde non solum non poterit petere debitum (quamuis tenetur reddere, nisi malit ante primum actum intrare Religionem) sed etiam si contingat virum mæchari, non poterit eum sibi conciliare, quia, quantum in se est, tenetur integram castitatem seruare. Si autem non cogitauit de Religionem, solum videtur vouisse castitatem partialem, quam matrimonij status permittit, nimirum, ut non possit petere debitum aut fornicari. Vnde si contingat virum fornicari, non tenetur ab eo diuertere, & potest separatim conciliare. ut docet Sancius lib. 9. disp. 35.

Contrarium tamen in hoc casu videri possit verius. si enim non afficiebatur matrimonio, & optabat esse libera ab illo iugo, & sic vouit castitatem (vt plerumque fit) videtur vouisse absolute seruare quantum in se est, & sine iniuria coniugis possit: vnde etiam post mortem ipsius non potest nubere alteri. quare si contingat coniugem fornicari, tenebitur ab eo separari, si absque graui incommodo possit, nec dimissum poterit reconciliare. itaque spectanda est mens vouentis vtrum intenderit vouere seruare castitatem quantum sine alterius iniuria possit.

Si post consummatum.

Dico Tertio, Si consummato matrimonio alter vel vterq; vouit continentiam, vel id factum absque alterius consensu, vel eum consensu, sed seorsum; vel mutuo consensu per modum pacti. Si primo modo factum sit, certum non esse nisi votum parziale castitatis, nimirum quantum est ex parte vouentis, quale in matrimonio seruari potest, siue vterque seorsim, siue alter tantum vouerit. Si secundo modo, nimirum accedente consensu alterius, non tamen per modum mutui pacti, etiam erit solum votum parziale, quale matrimonij status permittit. Et quamuis neuter tunc possit petere debitum, vterque tamen tenetur petenti reddere: quia neuter censetur renuntiasse iuri petendi, nisi forte expressè aliud intenderit. Licentia enim vouendi data à coniuge, non est renuntiatio sui iuris, vt supra c. 40. dub. 1 §. n. 95. ostensum est, & consentiunt plerique Doctores.

56

Si tertio modo factum sit, neuter potest petere aut reddere: quia ad hunc finem vterque iure suo cessit, & coniugem à iugo coniugalis seruitutis absoluit, vt sic integram continentiam perpetuò seruare possit, vt supra dubit. 1 §. num. 96. ostensum est.

Si ius vicissim reddans.

Aduerte tamen, coniuges alterum alteri posse hanc renuntiationem valide condonare, & ius pristinum in corpus restituere. etsi enim ea in re committant sacrilegium contra votum (quia quod semel Deo consecratum est, non potest alteri dari) tamen illa condonatio & iuris restitutio valida erat. Nam si cum femina est omnino sui iuris, validè potest ius sui corporis conferre in virum, etiam si ipsa castitatem vouerit; multò magis iam matrimonio copulata poterit validè reddere viro ius, cui vir renuntiabat, cum numquam ita renuntiare poterit, quin apud eum habitu & in radice manerit. Ratio est, quia votum simplex, quo vouit Deo castitatem, non transfert dominium corporis in ius alterius. secus est in professione, cui ex parte voti obedientia annexa est traditio in ius Religionis. Vnde etsi vouerit castitatem, retinet tamen dominium corporis sibi (quamuis Deo obnoxium ratione voti) ac proinde potest illud validè marito reddere, similiter maritus vxori. Itaque hoc casu etsi neuter possit petere debitum, vterq; tamen tenetur petenti reddere; sicut cum seorsim castitatem vouerunt. Tunc enim eorum votum ad similem statum est redactum. vide supra c. 40. dub. 18. n. 126. Si tamen contingat maritum mœchari, vxor non poterit ei amplius reddere debitum, quia ille rursus ius petendi amisit: & ita tenetur ipsa votum suum integrè seruare sicut prius, antequam restituisset viro ius illud, quo ipse vouendo cesserat.

DVBITATIO VII.

Quid requiratur vt professio sit valida, & vt inuálida ratificetur; & an non ratificans possit ingredi.

Notandum est, professionem posse fieri vel ⁵⁷ *expresse* vel *tacite*. *Expresse*, cum quis vitur aliqua formula promissionis, qua mentem suam expliciter & intendat Religioni incorporari. Nec refert ex natura rei quibus verbis vtatur; modò per illa intendat se Deo & Religioni obstringere ac tradere, idque ipsis aliqua ratione exprimat. Sicut in absolute ab excommunicatione, non refert quibus verbis vtatur Prælatus, modò significet effectum, quem per illa intendit. Vnde in multis Religionibus non vouent expressè paupertatem, & castitatem; sed promittunt solum *seruare regulam*, (intellige de præceptis regulæ) vel *obedire regulæ*, vel *uiuere secundum regulam*: vel promittunt *obedientiam & conuersionem morum secundum hanc vel illam regulam*. His aliqui adiungunt *stabilitatem*, vt Benedictini & Carthusiani: castitatem verò & paupertatem promittunt, tum in obedientia, tum in promissione regulæ, in qua illa exprimitur.

Professio expressa. Tacita.

Varia formula professionis expressa.

Tacite sit tripliciter. Primò, Cum exacto probationis anno defert quis habitum professorum (vbi aliquo signo externo distinctus est) per tri-duum; cap. Ad nostram. 8. de Regul. & cap. Constitutionem. 3. de Regul. in 6. Secundò, Si tali habitu suscepto faciat aliquod opus professis proprium, vt si in Capitulo iustitiam dederit, statim fit professus, nec requiritur tuduus; c. Vidua. 4. de Reg. Tertio, Si in ea Religione vbi nulla exterius est distinctio habitus, deferat habitum per totum annum, in termino anni censetur professus; c. Ex parte. 22. de Reg. & Clement. Eos qui de Regul. vide Nauar. comment. 4. de Reg. n. 73. & 74. Silu. Religio. 3. q. 19. Debent autem hæc fieri animo saltem tacito profitendi; & consentiente illo, cuius est admittere, vt rectè idem DD. & alij docent, & ex infra dicendis patebit. Si talis animus non adsit, non erit coram Deo professus: etsi in foro externo præsumatur.

Professio tacita triplex.

His positis, vt professio sit valida, multa requiruntur. Primò, *Ætas*. Secundò, *Annus probationis*. Tertio, *Animus profitendi*. Quarto, *Vt non metu vel fraude impulsus faciat*. Quintò, *Vt fiat auctoritate eius, cuius est admittere, & cum consilio eorum, quos tenetur adhibere*. Sextò, *Vt fiat in Religione approbata, ac proinde secundum Regulam approbatam*. Septimò, *Vt tria vota substantialia saltem implicite emittantur*. Octauò, *Vt nulla adsit conditio substantia Religionis repugnans*. Nonò, *Vt non habeat aliquod impedimentum, quod in ea Religione habeatur essentialle*. Decimò, *Vt persona non sit alteri obstricta*.

Primò, Requiritur *ætas*: hæc ante Concil. Trid. in feminis erat 12. annorum, in maribus 14. completorum. Ad ordines tamen mendicantium requirebatur præterea vnus annus, qui erat probationis. Itaque in illis Ordinibus ante annum 15. completum non erat valida professio; de quo vide Siluestrum Religio. 3. q. 2. Verum post Concilij Tridentini decretum, quod habetur less. 25. c. 15. de Regul. requiruntur in omnibus Ordinibus ^{16. annos} completos. ^{1. Aetas.} ^{Conc. Trid. requirit 16. annos completos.}

anni

anni 16. completi: In quacumque, ait, Religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante 16. annum completum: nec qui minore tempore quam per annum. post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regule vel Religionis vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus.

Ordinatus ante pubertatem.

Pari modo si quis ante pubertatem accipiat Ordinem sacrum, non obligatur voto continentiae Ordini annexo, vt docet Panorm. c. vñico, num. 3. de clerico per saltum promotio, secutus Hostiensem, Innocent. Archidiaconum, Hugonem, Goffredum. Ratio est, quia illa aetate non poterat se expressè obligare voto solemnī continentiae: ergo nec tacitè per susceptionem Ordinis. Vnde inferitur, Si quis hoc tempore ordinaretur ante annum sextum decimum aetatis, non obligatum iri voto continentiae: quia ante illud tempus non valet professio; ac proinde nec teneri ad Preces canonicas, & posse inire matrimonium. Idem docet Nauar. in Enchirid. cap. 22. num. 51. de ordinato metu maximo reuerentiali. Hoc ipso enim quo tenetur ad castitatem, non tenetur ad statum ipsū, cum Ecclesia hunc nemini permittat absque continentiae voto. Si non tenetur ad statum ipsum, neque etiam ad ea quae statui sunt connexa & accessoria. Hæc tamen intellige, nisi completo anno sexto decimo ratificet Ordinis susceptionem. Neque sufficit antè ratificare, vt insinuat Panorm. ex Hostiensī; quia debet esse in aetate habili ad se obligandum. Censetur autem ratificare, si Ordine sacro tunc utatur; nisi fortè utatur ex ignorantia, qua putabat se teneri. Nemo enim ratificat quod ignorat.

59
2. Annus probationis.
Quando inchoatur.

Secundò, Requiritur integer annus probationis post susceptum habitum. patet ex verbis Concilij.

Vbi Notandum Primò, Hunc annum posse inchoari & expleri ante annum sextum decimum; quia Iure antiquo poterat, & Concilium nihil circa hoc innouauit: non enim est opus vt statim expleto illo anno ad professionem admittatur. Nec obstat illud, quod cap. 16. dicitur, *Finito tempore nouitatus, Superiores, Nouitios, quos habiles inueniunt, ad profectendum admittant, aut e Monasterio eiciant.* quia loquitur de iis qui sunt habiles, in quibus non est iusta causa differendi, vt declaratum est à Cardinalibus qui decretis Concilij interpretandis præfunt. non enim Concilium vetat differri professionem, si causa aliqua iusta subfit; (vt si morbo aliquo laboret, si aetas desit, si in probatione non omnino satisfecerit) hoc enim esset contra rectam administrationem, & contra Monasterij ac ipsius Nouitij bonum.

Debet esse continuus.

Secundò, Hunc annum debere esse continuū. Ita Siluester Religio 5. quaest. 4. Nauar. lib. 3. titul. de Regularib. consil. 34. & 37. & alij passim. Ratio est, quia quando Ius certum tempus, vt annum vel mensem requirit, intelligendum est de tempore continuo; vt docet Ioan. Andreas in c. 1. de elect. in 6. & alij. Deinde quia annus assignatur vt experiatur austeritates Religionis: has autem melius experitur continuando, quam diuidendo. Denique ita habet consuetudo. Glossa tamen in reg. Eum qui, de reg. Iuris in 6. tenet sufficere annum interpolatum; quod Panormitanus in cap. Ad Apostolicam. 16. de Regularib. n. 9. non reij-

cit, etsi contrarium putet verius. Idem tenet Barthol. Brix. vt refert Panor. & Speculat. p. 4. tit. de statu monach. §. 1. q. 37. etiam longa fuerit intermissio. crediderim sanè, paucorum dierum interpellatione non impedire. Ratio est, quia non minus idcirco experitur austeritates Religionis, si postea totidem dies, quot intermisit, suppleat. atqui tota ratio, cur annus debeat esse continuus, est, vt experiatur austeritates Religionis, vt alij DD fatentur. accedit quòd paucorum dierum intermissio non censetur impedire moralem continuationem.

Tertiò, Hanc probationem debere fieri in habitu, (etsi Panormitanus id neget) quia est pars austeritatis Ordinis. Item in iplo Monasterio; nisi à Superiore ei concessum sit vt foris moretur, vt docet Siluester, Religio 5. q. 5.

In habitu.

Quartò, Annum probationis & annos sexdecim aetatis, computandos esse à momento ad momentum. vt si habitum acceperis primo Octobris post meridiem, nò potes eodem die recurrente in termino anni profiteri ante meridiem, sed expectandum est punctum suscepti habitus. Similiter in aetate expectandum vt recurrat punctum natiuitatis. Colligitur ex L. 3. §. Minorem. de minoribus, vbi dicitur, *Minorem adhuc dici vltimo die anni 25. donec hora natiuitatis recurrat.* & ratio additur, *quia ante illa horam nondum cõpleuit 25. annos.* vnde colligit, in huiusmodi à momento in momentum tempus spectari. quod maximè verum est, quando certum tempus, ab aliquo die determinato incipiens, alicui constitutum est in ipsius fauorem: v. g. vt possit restitui in integrum, vel vt non possit obligari aliquo contractu, vel lege. secus si tantum requiratur, quia non putatur antea satis idoneus; vt cum requiruntur 7. anni ad sponsalia, & 14. ad matrimonium: tunc sufficit vltimum diem anni 7. vel 14. esse inchoatum; nec opus est expectare punctum natiuitatis, vt docet Sancius l. 1. de matrim. disp. 16. n. 2. Idem credo dum requiruntur anni 14. ad beneficium; quia id fauorabilius, vide Azonem in Summa, in L. 2. Cod. Rubr. de in integrum restitutione minorum. n. 1. 2. 3. 4.

Quomodo computandus iste annus.

Hinc sequitur, si aetas annorum 16. compleatur anno bissexto 24. Februarij, non sufficere vigesimum quartum priorem; sed addendum esse alterum; (bis enim tunc vigesimus quartus numeratur, & bis dicitur sexto Kalendas; vnde etiam annus bissextus nomen accepit) quia hic est necessarius ad complendum quadriennium præcedens, cum senæ horæ singulis annis defuerint. Ita in simili docet Molina disp. 573.

Bissextus.

Quintò, Per hoc decretum Concilij sublatam esse omnem professionem tacitam, quæ intra annū probationis fieri poterat, per quam profitens obligabatur non huic Religioni in qua erat, sed Religioni in genere; quamuis hac Religio ipsi esset obstricta, si ipse vellet. de quo cap. Ad Apostolicam, de Reg. & c. Constitutionem. 3. in 6. eodem. Similiter sublata professio expressa intra illud tempus.

Professio tacita intra annum probationis sublata.

Sextò, Eum, qui in Ordinibus mendicantium aliquem admittit ad professionem ante expletum annum probationis, peccare mortiferè; quia id ei sub pœna excommunicationis ferendæ strictè prohibetur: & esse suspensum ab officio admittendi ad professionem, cap. Non solum. 2. de Reg. in 6. in alijs Ordinibus peccare quidem mortiferè; quia contra præceptum Concilij Trid. in

re graui : non tamen esse suspensum, quia iure non est statutum.

Annua probationis in coniuge.

Septimò, Annum probationis etiam habere locum, quando ante consummatum matrimonium alter coniugum ingreditur Religionem. Et si enim cap. Ex publico. 7. de conuers. coniugat. non concedantur tunc nisi duo menses ad profitendum, vt tenet Glossa, quã communiter sequuntur DD. teste Panorm. in illud c. n. 11. & ipse Panorm. ibid. tamen Concilium Trident. generaliter loquens & nihil excipiens requirit annum integrum, irritam reddens professionem, quã ante finem anni facta fuerit. Vnde etiam in tali euentu annus requiritur. Confirmatur, quia ratio cur annus probationis sit statutus (nimirum ut conuersus experiatur asperitates Monasterij, & Monasterium illius mores; vt habetur cap. Ad Apostolicam. 16. de Regular.) non minus habet locum in coniugatis quã in solutis. Vnde sequitur, vxore Religionem ingrediente, marito expectandum per annum, donec probatione peracta fecerit ipsa professionem. cumque professio non valeat ante annum sextum decimum completum, si vxor ingrediens sit solum duodecim annorum, marito expectandum per quatuor annos.

Dices, d. cap. Ad Apostolicam; dicitur hoc tempus constitutum in fauorem vtriusque, nimirum conuersi & Monasterij: ac proinde vtriusque consensu posse hoc tempus accidi, & professionem citius fieri. quemuis enim posse renuntiare ei quod in suum fauorem est introductum.

Respondeo, Olim id quidem validè fieri potuisse: verum per Concilium Trident. hoc est correctum. quod insinuant generales illæ locutiones & clausulæ irritantes: *Non admittatur, professio sit nulla, nullum effectum operetur.* & quod velit non valere renuntiationem bonorum antea factam. ita Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 33. Vnde concludit, etsi olim cum quis transferebatur à Religione mendicante ad non mendicantem, vel non mendicante ad mendicantem, poterat renuntiare anno probationis; nunc tamen non posse.

Ad rationem allatam respondet, Etsi olim annus probationis solum videretur concessus ob fauorem priuatum, ac proinde tunc ei potuisse renuntiare; à Concilio tamen in eo statuendo spectari fauorem publicum, ob graues abusus contra bonum publicum ex illa renuntiatione prouenientes. v. g. vt quis fieret Abbas, qui vix paucis mensibus fuerat Nouitius; atque adeò vt fieret Magister perfectionis, qui nondum aut vix fuerat discipulus. Nemo autem potest renuntiare iuri quod in fauorem publicum introductum. Vide Panorm. in d. cap. Ad Apostolicam, n. 10.

Aduerte tamen, contrariam sententiam in vtroque casu non esse improbabilem, vt docet Sancius l. 2. de matr. disp. 24. & insinuat Nauar. supra, vbi argumenta varia in hanc adducit.

Aliud est vbi Concil. non receptum.

Octauò, Prædicta de ætate sexdecim annorum, & anno nouitatus integro, procedere maximè vbi Concilium Trident. est receptum: vbi enim non est receptum, probabile est valere professionem ante annum nouitatus exactum in Ordinibus non mendicantibus: ita docet Nauar. lib. 3. tit. de Regular. consil. 28. num. 1. Similiter ante annum sextum decimum ætatis. nam eadem est ratio: nimirum quia lex non recepta vim non habet; & ita ius antiquum manet in vigore.

Tertiò, Requiritur animus profitendi, si enim hic absit, ita vt nec tacitè nec expressè intendas profiteri, nulla est professio; quia nec votum, nec vlla promissio per se obligat sine voluntate obligandi; cum tota hæc obligatio à libera voluntate pendeat, vt dictum est c. 40. n. 5. & 6. Dico per se; quia potest obligari ratione scandali, vel damni vitandi, quod sequeretur si promissio exterius facta non præstaretur. vnde si horum periculum absit, qui sic professus est, possit fugere & recipere se ad exterâs prouincias.

Quartò, Vt non fraude vel metu inductus, de quo supra cap. 17. dubit. 5. & 6. & cap. 40. dubit. 2. & 3.

Quintò, Vt fiat consensu eius, cuius est incorporare Religioni. Ita Nauarrus comment. 4. de Regul. nu. 74. Sil. Religio 3. q. 19. & alij omnes. Ratio est, quia nulla professio est valida, nisi duæ personæ concurrant, quarum altera se obliget Religioni, tradendo se in ius eius, & obstringendo ad manendum in ea; altera Religionem obliget illi, recipiendo illum in filium, & iura reliquorum illi communicando. continet enim professio obligationem reciprocam inter eum qui illam facit & qui recipit; iuxta cap. Ad Apostolicam. 16. de Regul. & c. Porrectum. eodem. vbi optimè Panor. num. 10. & 11. & Nauar. lib. 3. de Regularib. consilio 5. Debet autem hic consensus esse liber, non fraude aut metu iniusto extortus, sicut in alijs contractibus. Vnde si Prælatus metu graui iniuste ad id incusso cogatur aliquem admittere ad professionem, professio erit inualida, quia in contractibus ex vtraque parte requiritur libertas. Confir. quia ad valorem professionis non minus requiritur admissio & receptio quàm traditio: ergo sicuti ad firmitatem professionis requiritur libertas in traditione; ita etiam in receptione. Hæc potestas ordinariè est apud Prælatum; eius enim est incorporare congregationi, huiusque priuilegia & iura communicare, qui illi præstet. Debet hic etiam (nisi aliud consuetudo vel regula præseribat, aut priuilegium aliud concedat) adhibere consilium Capituli: quia regula Monachorum præscribit, Abbatem præcipua quæque cum consilio Capituli debere explere: admissio autem vnus est ex præcipuis. Vnde sequitur, admissionem esse irritam iure communi, si absque illo consilio fiat: quia vbi à iure requiritur consilium, nisi adhibeatur, actus est nullus, cap. Nouit. 4. de his quæ fiunt à Prælato, iuncta Glossa. non tamen tenetur consilium illud sequi, sed satis est exquirere & intelligere, vt docet Silu. v. Religio 3. qu. 13. Alij tamen putant non sufficere consilium, sed etiam requiri consensum. Probari potest ex cap. Ea noscitur. 6. de his quæ fiunt à Prælatis, & c. vbi requiritur consensus maioris vel sanioris partis Conuentus, vt præsentatio vel collatio per Abbatem facta, sit valida. Vnde hæc sententia iure communi videtur verior.

Verum spectanda maximè est in huiusmodi recepta consuetudo, vt docet Panorm. in cap. Ad Apostolicam. n. 11. de Regular. Episcopus etiam potest admittere ad professionem, sed tantum in Monasteriis sibi subiectis; Siluester supra qu. 14. quia est Superior, cui etiam Abbas subest. Si alius si non ha. admittat absque mandato Prælati, professio est inualida; quia non potest Religioni incorporare. Si tamen nomine Prælati admiserit, potest Prælatus ratificare, vt docet idem Silu. Religio 3. q. 18.

Ang.

Consilium Capituli.

Ang. v. Professio. num. 1. & alij. Antea tamen non habebit vim professionis, sed solum voti simplicis, quia non obligat omnino & absolute sicut professio; sed sub conditione, Si Prælatus ratum habuerit. Si autem nomine Prælati admissus non sit, non poterit Prælatus ratificare: quia *ratum nemo habere potest quod suo nomine gestum non est*, ut habetur reg. 9. de regulis Iuris, in Sexto. itaque nisi rursus profiteatur, non erit professus.

Professus sine auctoritate admittens.

Petes, Vtrum ex huiusmodi professione maneat obligatus?

Respondeo, Probabile esse, manere obligatum voto simplici ad ingrediendum, si velint illum recipere; quia obligatum se quantum potuit ex parte sua: cum hac tamen tacita conditione, si ipsi vicissim illum vellent recipere. vnde debet inquirere an velint, & si velint, rursus profiteri: si nolint, erit omnino liber.

Contrarium tamen etiam probabile est, & forte verius; quia in contractibus reciprocis potest reuocari consensus & obligatio, quamdiu ab altera parte non est acceptata, nisi forte tempus concessum sit ad deliberandum. atqui hic non censetur acceptata; quia altera pars nullam potestatem ad acceptandum habuit. Idem accidit in emptionibus, venditionibus, & aliis contractibus. secus est si fiat sub ratihabitione Superioris; quia tunc expectanda est illa ratihabitio, cum in illam consenserint. vide Nauarrum l. 3. de Regul. consil. 6. num. 4. & 5.

62
6. In Religione approbata, c. vnico, de voto, in 6. Non enim sufficit tria vota substantialia emitte, & regulam aliquam ab Ecclesia approbatam profiteri, sed debet etiam alicui Religioni approbate incorporari, eiusque membrum effici, idque ab eo qui incorporandi habet potestatem, ut dictum est. Vnde si quis in manibus Episcopi profiteretur regulam S. Benedicti, Augustini, vel Basilij, non ideo efficeretur verus Religiosus. vide Nauar. l. 3. consil. tit. de Regul. consil. 6. & consil. 81. Si fiat in Religione prohibita, (qualis est omnis, quæ instituta est post Concilium Lateran. & non approbata) non est vera professio qualis Iure requiritur. vnde nec irritum reddit matrimonium; nec impedit dominij acquisitionem. obligat tamen talis professio ad Religionem in genere, iuxta Siluestrum Religio 3. q. 10. ex Archidiacono. quod intellige, si illa fuit mens volentis; secus si voluit se huic soli obstringere, non vlli alteri: quo casu videtur totum Iure irritum, & nulla obligatio, quia actus non operantur ultra intentionem agentium. Præsumitur autem se huic soli voluisse obligare, nisi expressè aliud intenderit. Aduerte tamen, si talis Religio prohibita permittatur in Ecclesia vt prium institutum, professionem habituram vim votorum simplicium, vt supra num. 14. dictum est.

7. Vota substantialia nuncupanda.

Septimò, Vt tria vota substantialia nuncupet: quia sine his non est perfecta Religio, vt ostensum dub. 1. sufficit tamen vt id faciat implicite, vt supra num. 57. dictum est. vide Panor. cap. Porrectum. num. 3. de Regul.

8. Conditio repugnans substantie Religionis.

Octauò, Vt nulla adsit conditio Religionis substantia repugnans; vt si quis profiteatur ea lege vt possit retinere sua bona, viuere suo arbitratu, ducere uxorem moriente fratre, egredi si ferre non poterit: talis enim professio est irrita, nec vllam inducit obligationem. secus si profiteatur absolu-

tè, quamuis antea pactus sit vt sibi concedatur aliquod peculium, vel vt maneat domi sua, retineatque vsum bonorum suorum, dependenter tamen ab arbitrio Superioris, vt patet cap. Insinuante, Qui Clerici vel vouent. & cap. De viduis. 27. quæst. 1. de quo vide Nauarrum comment. 2. de Regul. nu. 15. & 16. Post Concilium tamen Tridentinum talia pacta non possunt fieri sine Pontificis auctoritate.

Nonò, Vt non habeat aliquod impedimentum, quod in illo Ordine censeatur essenziale: hoc enim professionem redderet inualidam. Ratio est, quia per impedimentum redditur inhabilis ad professionem huius Religionis. sicut enim constituta sunt varia impedimenta dirimentia, quibus redditur quis inhabilis ad matrimonium, vel simpliciter, vel cum hac aut illa persona; ita etiam possunt constitui impedimenta, quæ reddant inhabilem ad professionem vel simpliciter, vel in hac aut illa Religione. Si tamen admittatis, qui potest dispensare. & nouit impedimentum, valebit professio: quia admittendo tacite videtur dispensasse. Si autem ignorauit impedimentum, altero id in examine celante, non valebit; propter causam prædictam, nimirum quia mansit inhabilis. Idem dicendum quando fuit impedimentum, sed non potuit in eo dispensare. Porrò nullum impedimentum habet vim irritandi professionem, nisi à Pontifice sit constitutum vel confirmatum, vt fuscè probat Nauar. lib. 3. tit. de Regul. consil. 5. Sicut enim ipsius solius est constituere impedimenta dirimentia matrimonij, ita etiam professionis: præsertim cum Religionis & professionis ratio ab eius approbatione dependeat, vt supra dubit. 1. num. 11. ostensum est. Posset tamen Prælatus aliquem admittere cum protestatione, non esse sibi animum admittendi, si habeat hæc vel illa impedimenta: & tunc professio esset irrita, si tale impedimentum suberat, non quòd impedimentum subsit, sed quòd animus admittendi desit. ita Nauar. supra. Quòd si impedimentum non reddat quidem irritam professionem, tamen fraudulenter sit suppressum in examine, eaque fraus dedit causam receptioni, poterit talis professus postea eiici à Religione, vt docet Nauar. l. 3. tit. de Regul. consil. 25. quando enim dolus dedit causam contractui, vel est irritus, vel certe in irritum reuocabilis, iuxta ea quæ dicta sunt supra cap. 17. dub. 5. Nec obstat quòd professio semel valida, non possit irritari: quia id verum est quoad obligationem erga Deum, non autem quoad illam quæ est inter Religiosum & Monasterium.

9. Si impedimentum essenziale subsit.

Impedimentum à Papa solo constituitur.

Decimò, Vt persona sit sui iuris, alteri non obnoxia. hinc professio serui absque consensu domini, & viri absque consensu coniugis consummato matrimonio est inualida, vt patet ex dictis supra dubit. 3. Ratio est, quia per professionem traditur potestas & quasi dominium corporis Religioni. atqui isti non habent potestatem sui corporis, ergo non possunt illam tradere. nemo enim potest id quod est alterius dare alteri absque eius consensu. itaque requiritur consensus expressus: nec in re tanti momenti & præiudicij sufficit dissimulatio. Et si enim is qui tacet consentire videatur, quando agitur ipsius commodum: non tamen quando præiudicium. Deinde vt ille consensus non sit metu graui vel dolo extortus. Si vxor absque dolo alterius & sponte consensit, valebit quidem

dem professio viri: si tamen ipsa non uouit continentiam aut ingressum Religionis, nec potest induci ut id faciat, restituendus ei erit maritus, iuxta cap. 1. de conuers. conjugat. tenebitur tamen maritus redire ad Religionem, simulatque ab illius iugo liberatus fuerit. Vide suprâ dub. 3.

63
An possit
egredi.

Peres Primò, Vtrum quando professio fuit irrita defectu ætatis, vel quia professus est ante exactum annum probationis, vel quia metu fraudæ uel impulsus, & multos annos mansit in Religione, possit egredi:

Respondeo, Posse, si absit scandalum: quia ut habet regula Iuris, *Non firmatur tractatu temporis, quod de iure ab initio non subsistit*. Quod limita, nisi postea sciens esse irritam, ratificauerit, vel certè nisi expressè ita apud se statuerit, Volo illam esse validam, etiam si fortè ob aliquâ causam ab initio valida non fuisset, non enim sufficit illam ratificare ex eo quod putet ab initio fuisse validâ; quia hæc ratificatio proficitur ex errore; unde non est libera, ac proinde non inducit nouâ obligationem. Vide Nauarrum in Summa c. 12. n. 71. & comment. 4. de Regul. num. 71. & 75. Vt autem hæc res absque scandalo fiat, & ne fraus aliqua subsit, statuit Concilium Trident. sess. 25. de Regularibus c. 19. *ut quicumque Regularis præterdat se per vim & metum ingressum Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile: uelique habitum dimittere quicumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas præterderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur. Interim uero nullo privilegio sua Religionis inueniatur.* hæc Concilium.

Constitu-
tio Concil.
Trident.

64
Tria re-
quiri ut
possit re-
clamare.

Vbi Notandum Primò, Tria requiri à Concilio, ut inualidè professus reclamans possit audiri.

Primum, Ut reclamet intra quinquennium, nimirum à tempore professionis computandum.

Secundum, Ut causas nullitatis quas præterdit, coram Superiore suo & Ordinario deducat.

Tertium, Ut non dimiserit habitum ante hanc deductionem.

Si aliquid horum adsit, uult Concilium ut non audiatur, nimirum ad eum finem ut iuridicè declaretur liber à vinculo Religionis.

Notandum Secundò, Quod dicitur, *Nullatenus audiendum si habitum dimiserit*, statutum esse in pœnam, ut patet ex uerbis sequentibus. unde non habet locum, si bona fide ad tempus habitum deposuerit: item si habitum resumat, intelligendum enim ex æquo & bono, nempe si habitum dimiserit ita ut non resumpserit. Si enim resumat, est audiendus, ut probat Nauarr. comment. 4. de Regular. in fine. Similiter illud, *Non esse audiendum nisi intra quinquennium*, &c. intelligendum videtur cum simili exceptione, nempe, nisi toto illo quinquennio impotentia reclamandi durauerit, uel docet in simili Glossa in cap. 2. de Regular.

Impotentia
reclamandi.

ubi statuitur, ut qui post annos pubertatis per vim clericus (id est monachus, ut Doctores communiter exponunt) factus est, permaneat in illo statu, nisi ipse, vel parentes eius intra annum apud Principem, Episcopum vel Nuntiam Apostoli-

cum reclamauerint. ubi Glossa, *Intellige*, inquit, *si potuit reclamare*. Idem colligitur ex cap. de iis quæ vi, &c. ubi mulieri non obfuit quòd durante metu viri non reclamauerit. Confirm. quia decretum Concilij nititur præsumptione ratificationis intra illud tempus factæ. atqui hæc præsumptio non habet locum, si impotentia reclamandi durauit. Ad hanc impotentiam videtur etiam pertinere ignorantia impedimenti: quia hæc non minus reddit impotentem ad reclamandum quam metus. Vnde Panor. in cap. Vidua. 4. nu. 7. de Regul. dicit, *Data ignorantia cessare præsumptionem*. Itaque quando de impotentia constaret, putarem Iure ordinario absque alia in integrum restitutione audiendum. Idem dicendum quando suberat impedimentum perpetuum, aut temporale durans ultra quinquennium. quia tunc non potest præsumi ratificatio.

Ignoran-
tia.

Verùm quia regulariter de impotentia reclamandi non constat, opus est plerumque restitutione in integrum, ut quis audiri possit. Nam Concil. absolute statuit post quinquennium non esse audiendum; puta, Iure ordinario. Itaque hoc seruandum, nisi constet de impotentia reclamandi. Ratio est, quia Concil. intra illud tempus præsumit illum ratificasse professionem, & uult ita à Iudicibus Ecclesiasticis præsumi, & illum pro professo haberi. Vnde silentium illud quinquennij inducit præsumptionem Iuris, & de Iure; contra quod non admittitur probatio: idque ad tollendas inquietudines, sollicitationes, & scandala quæ euenirent, si sine fine liceret religiosi in iudicio suam professionem oppugnare.

Præsum-
ptio Iuris
& de Iure

Simili modo cap. 2. de Regular. inducitur præsumptio Iuris & de Iure, ex eo quòd quis intra annum à professione per vim facta non reclamauit. Et cap. Vidua, eodem titul. inducitur similis præsumptio ex eo quòd uidua nouitia se actibus profellarum immiscuit, inter uelatas oblationem Deo offerendo.

Simili modo inducitur præsumptio ratificationis matrimonij metu contracti ex habitatione sesquianni. cap. Ad id 21. de sponsalibus. Et olim ante Concilium Trident. ex copula carnali post sponsalia habita, nascebatur præsumptio matrimonij. cap. Is qui. 30. eodem. Et contra huiusmodi præsumptionem non admittitur in foro externo iuramentum nec probatio per testes, ut habeatur tribus proximè notatis capp. quia Ius ex huiusmodi iudicio præsumit consensum (unde uocatur præsumptio Iuris) & statuit ut Iudices consensum præsumant, & ita iudicent: ideoque dicitur præsumptio de Iure; nimirum quia Iure constituta, ut ex ea in foro externo iudicetur. Et hæc est causa cur contra illam non admittatur probatio aut iuramentum.

Notandum Tertio, Non manere tamen tales sine remedio: etsi enim contra præsumptionem Iuris, & de Iure non admittatur probatio in iudicio ordinario; datur tamen ex causa restitutio in integrum Iure extraordinario, ut ex Menochio probat Sancius lib. 7. de matrim. pag. 253. & colligitur aperte ex L. Si mater. 7. de except. rei iudicata. ubi datur restitutio contra sententiam, quæ transit in rem iudicatam (quod locum habet etiam si tres sententiæ conformes datæ fuerint), & tamen pro tali sententia est præsumptio Iuris, & de Iure, per quam omne Ius agendi amittitur. Et cap. Co-
ram.

65

Restitutio
in inte-
grum

ram. 7. de integro restitutione, dicitur, non audiendam Ecclesiam post terminum preceptorium; tamen ibidem per beneficium restitutionis conceditur eadem actio ad certum tempus. Pari modo in presenti casu potest restitui lusagendi, quod per lapsum quinquennij amissum erat, minoribus quidem duplici ex causa. Primò, ratione minoris ætatis; etiam si intra illud tempus sciuerint suam professionem esse irritam, & potuerint reclamare: sicut iisdem datur restitutio contra præscriptionem, etiam si illis scientibus & negligentibus facta sit. Secundò, ratione impotentia reclamandi, siue ex metu, siue ex ignorantia pro- uenerit. Maioribus autem solum ex vna causa, nimirum ratione impotentia reclamandi, quam præ- tendunt, siue ex metu, siue ex ignorantia. Ita Sancius supra, & Nauar. d. comment. 4. n. 76. dicit, *Si metu vel impotentia reclamandi plus quinquennio durauerit, posse illum audiri vel iure vel restitutione.* vide supra c. 6. dub. 18. ubi ostensum est, quando maiori & quando minori detur restitutio in integro contra præscriptionem. Eadem est ratio in presenti negotio. Ignorantia tamen Iuris non proderit maiori in foro externo; quia non excusat, nisi sit rusticus, minor, vel mulier: in his enim ignorantia Iuris toleratur, ut dictum est supra c. 6. nu. 17. Addit Sancius, probabile esse in foro conscientia, maiorem, etiam intra quinquennium sciuit suam professionem esse inuvalidam, & non reclamauit, posse nihilominus reclamare post quinquennium, & negare cum iuramento se sciuisse suam professio- nem fuisse inuvalidam, nimirum cum hac restric- tione tacita, *ad eam ratificandam*; sicut innocens rogatus à Iudice an illac tranferit ubi cadaver iacebat, potest negare cum iuramento se illac tran- siuisse. Iudex enim rogat de transitu, ut ex eo sumat indicium homicidij: at ille non sic transtulit. simili modo qui ante Concil. Trid. cognouerit sponfam animo fornicario, rogatus à Iudice poterat negare cum iuramento se eam cognouisse. Nam Iudex rogabat de actu, ut ex eo præsumeret matrimonium, at ille talem actum qui matrimonium efficeret, non habuit. Idem dicendum quotiescumque Iudex procedit ex falsa præsumptione, interrogans aliquid, unde sumeret indicium falsum, aut fal- sam præsumptionem facti. Vide supra c. 31. dub. 3. numero 14.

Potest ne-
gare se
sciuisse.

An possit
fugere.

Notandum Quartò, Eum qui non potest obtinere restitutionem ut audiatur, eò quòd non possit probare ignorantiam professionis inuvalidæ, aut aliud impedimentum, posse fugere; modò sine scandalo; nec teneri ad regulam, nisi ratione scan- dali, ut docent Nauar. comment. 4. num. 77. & 78. & Sancius supra, quia reuera non est professus. Simile est in matrimonio præsumpto. Potest enim vir fugere, non obstante præcepto Ecclesiæ, ut passim tradunt Doctores. Neque sanè Conc. Tri- dent. illum intendit obligare in conscientia ad manendum in Religione. Nam præterquam quòd procedat ex præsumptione, totum præceptum suum dirigit ad Iudices Ecclesiasticos, instruens eos quid in foro externo seruare debeant. Imò oblata commoda occasione teneretur fugere, vel ratificare suam professionem; quia non potest frui commodis Religionis & sustentatione, nisi velit esse Religiosus, aut nisi res ita sint constituta, ut non possit se subducere sine scandalo. quamdiu autem non potest se subducere, non teneretur rati-

ficare suam professionem, etiam si culpa ipsius professio fuisse irrita; ut si fictè fuisse professus, ut docet Sancius supra, & Henriquez libro 1. de matrim. cap. 11. numero 11. quia Religio est res tanti momenti, ut non possit infligi in penam, sed sponte suscipi debeat, ut supra dubit. 4. ostensum est. Simili modo qui fictè contraxit matrimonium, non teneretur ratificare, si aliud damnum quod præponderet secutum non est. Quo casu expectando commodam occasionem, potest ille quidem ali- menta percipere ex Monasterio, sed cum animo compensandi, vel tunc sua industria, vel postea: quia causam damni sua fictione dedit. Teneretur abstinere à Prælaturo, quantum sine nota potest: si non potest, acceperit; & gesta per eum erunt va- lida ratione tituli colorati, communis erroris, & vitij occulti, iuxta ea quæ diximus cap. 29. dub. 8. Tales tamen, præsertim quando culpa intercessit, non poterunt frui priuilegiis Religionis, ut indulgentiis, irritatione uotorum à Prælato, ordinatione absque dimissoriis, & similibus, ut notat Sancius: nisi quando id absque graui nota non possunt declinare.

Petes Secundò, quid requiratur ad ratifican- dum huiusmodi inuvalidam professionem.

Respondeo, Primò requiritur notitia illius in- ualiditatis, alioquin ratificatio non erit libera: nisi quis fortè velit expressè illam esse ratam, etiam si ab initio fuisse inuvalida, ut supra numero 63. dictum est.

Secundò, ut intendat illam ratificare. est enim nouum uotum. unde requiritur formalis intentio: neque sufficit negatiuè se habere; quia uoti vincu- lum non contrahitur nisi uoluntate positua, sicut nec matrimonij; maxime cum hæc res sit maximi momenti, totum uitæ statum spectans. In dubio utrum consenseris, uerius est te teneri; quia præ- sumptio Iuris tibi aduerfatur. itaq; si post lapsum quinquennij dubitas an ratificaueris intra illud tempus, teneris. Idem dicendum, si dubitas an in actu professionis consenseris; item an liberè con- senseris an metu. præsumitur enim consensus, & liber consensus ex ipso actu externo professionis tacitè vel expressè. quia naturaliter comitari solet. itaque teneris; nisi de contrario, saltem per proba- biles rationes, tibi constet.

Contrarium insinuat Henriquez lib. 1. de ma- trim. cap. 11. Qui æquali, inquit, dubio nescit an consenserit (sicut olim quando sponsalia per copulam affectu maritali transibant in matrimo- nium) potest se liberum censere ab onere matrimo- nij; sicut ab onere dubij uoti. sed quòd dixi- mus, uerius est ob rationes allatas.

Tertio, secundum probabilem quorundam sententiam, si nouitiatus fuit inuvalidus, requiritur eius repetitio; ut si ante completam pubertatem factus: si cum inhabilitate ad illum Ordinem. Ita tenet Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 5. n. 19.

Sed contrarium est uerius, ut rectè docet San- cius. Nouitiatus enim non requiritur, nisi ut in- gressus experiatur austeritates Ordinis, & Or- do ipsius mores; ut habetur cap. Ad Apostoli- cam. 16. de Regular. atqui hoc fieri potest, etiam si Nouitiatus sit inhabilis, aut aliud uitium subfit ad- missioni.

Quartò, Requiritur noua acceptatio Præla- ti; sicut quando matrimonium fuit irritum ob aliquod impedimentum, requiritur nouus con- sensus

66

Ratifica-
tio profes-
sionis.In dubio
teneris.Non requi-
ritur repe-
titiu noui-
tatiu.Utrum no-
ua acce-
ptatio Præ-
lati.

senfus vtriusque; ita Azorius lib. 14. c. 4. q. 7. Sed contrarium est verius, siue ex fictione aut metu professio fuerit irrita (vt docet Sa v. Religio. n. 23. & Nauar. lib. 3. titul. de regular. consil. 24.) siue ex inhabilitate aliqua temporali, ratione defectus ætatis, anni probationis, &c. vt docet Nauar. consil. 35. numero 3. & 46. num. 2. siue ex inhabilitate perpetua, vt docet Sancius; qualis in quibusdam Religionibus est esse ortum ex Iudæis, vel Mauris; commisisse homicidium, &c. Sublata enim ista inhabilitate per dispensationem, sufficit ratificatio Religiosi. Ratio est; nam in primo casu cum ex fictione vel metu fuit inualida professio, cum persona esset habilis, admissio fuit valida ex parte admittentis: vnde cum maneat virtute (nam habetur à Prælato pro Religioso) solum requiritur consensus ex parte admissi; sicut in matrimonio & aliis contractibus, vt ostensum est supra, cap. 17. dubit. 11. In secundo & tertio, cum persona est inhabilis, fuit etiam admissio, & consensus Prælati inualidus, ac proinde deberet repeti, nisi aliunde suppleretur. Sed hic suppletur à Summo Pontifice, qui est supremus Prælatus omnium Religionum, habens potestatem admittendi omnes. Colligitur cap. 1. de Regular. in 6. vbi statuit Innocent. IV. vt professio, quæ erat irrita defectu ætatis, conualecat, si in legitima ætate eam expressè ratam habeat, vel professorum habitum suscipiat, & per triduum sine alia probatione gesserit: vel vbi non est distinctio habitus Nouitiorum & Professorum, habitum per annum gesserit. Idem de ratificatione statuitur ab Alexander III. cap. Ad nostram. 8. & cap. Significatum. 11. Extrauag. de regularibus. quibus locis non requirunt aliam Prælati admissionem: sed ipsi statuentes talem ratificationem expressam vel implicitam valere, Religiosum admittunt. Confirm. quia Concil. Trid. præsumit silentio quinquennij ratificari professionem. cap. 2. de regular. præsumitur ratificari silentio vnus anni. ergo non requiritur noua admissio. Secus est in matrimonio, quando subest impedimentum. quia Pontifex non potest supplere defectum consensus coniugis, eius loco consentiendo: potest tamen supplere defectum consensus Prælati, quia est supremus Prælatus, vt dictum est.

Aduerte tamen, hæc locum non habere, quando Superior, nullitate professionis intellecta, repugnat admissioni, volens ob aliquam causam illum euicere. Non enim Pontifex intendit admittere ratificationem, Superiore posituè repugnante; quæ species facti mihi nuper fuit proposita.

DVBITATIO VIII.

Quam vim habeat professio in Religione approbata.

67 **I**N professione continentur tria vota solemnia, quibus homo se totum Deo & Religioni obstringit & dedicat. Itaque ratione diuersorum votorum habet diuersos effectus.

1. Transfert Religiosum in ius Ordinis.

Primo, Transfert Religiosum in ius & potestatem Ordinis & Superiorum, faciens membrum illius: ita vt Superiores possint illum, si discesserit, apprehendere sua auctoritate tamquam rem

suam, & reducere ac punire; sicut dux belli militem desertorem, maritus vxorem fugitiuam, dominus seruum fugitiuum. facit hoc professio ratione voti *obedientia*, non præcisè quatenus hoc votum obligat Deo, sed quatenus continet tacitam vel expressam promissionem erga Superiorem, & sui traditionem in corpus Religionis, coniunctam cum legitima acceptance Superioris. Idem facit in Societate votum obedientiæ simplex peracto biennio. Superior enim à Summo Pontifice habet omnem iurisdictionem ex parte principij agentis necessariam; sed per votum obedientiæ modo iam dicto fit applicatio materiae, in quam hæc iurisdictione se exerat.

Hoc ius Superioris secundum quosdam non est iustitiæ strictæ, sicut ius ducis in militem, domini in seruum, mariti in vxorem; quorum obligatio est propter mutuum, vel alterius commodum; (quia Religiosus non obligauit se Ordini vel Superiori propter commodum ipsorum, sed propter suam salutem, vt ab ipsis rectè gubernetur) sed est ius obedientiæ, quod Superiori competit in inferioriorem: vnde per fugam non peccat contra iustitiam, sed contra obedientiam & fidem debitam Superiori & Ordini, & contra Religionem debitam Deo. quæ sententia probabilis est, eamque tenet Bañes q. 62. art. 2. dub. 6. & quidam alij recentiores.

Verius tamen puto, peccare etiam contra iustitiam; quia inter Religiosum & Religionem est contractus quidam, per quem ille se tradit in potestatem Religionis ad obsequium Ordinis, & vicissim Religio se illi obstringit ad illum tractandum tamquam filium: vt ostensum est dub. 7. vnde in hoc contractu non solum spectatur commodum priuatum Religiosi, sed etiam publicum communitatis. vide supra cap. 8. dub. 3.

Secundo, Facit inhabilem ad matrimonium ⁶⁸ contrahendum, ita vt si tentet contrahere, sit irritum; cap. Quod votum, vnic. de voto, in 6. habet hoc ratione voti *castitatis*; non præcisè, alioquin quoduis votum castitatis id efficeret; neque quia acceptatum ab Ecclesia, quia votum castitatis emissum publicè in manibus Episcopi id non facit, cum tamen ab Ecclesia sit acceptatum: sed facit ex vi constitutionis Ecclesiæ, quæ vt illud votum melius seruetur, illi in professione hanc vim annexuit, vt colligitur apertè ex dicto cap. Quod votum, vbi dicitur, *voti solemnitatem, quoad matrimonium dirimendum, ex sola Ecclesiæ constitutione esse inuectam.*

Dices, Homo per professionem tradit se Deo ^{Obiectio} & Religioni: ergo si postea tradat coniugi, iure naturæ est inualidum: sicut quod tibi donauit & tradidi, non possum alteri validè donare.

Respondeo negando consequentiam. Non enim per vota tradit potestatem corporis sui ad ^{Respon.} usum matrimonij, sed se tradit Religioni vt ab ea gubernetur; Deo verò, vt ipsi sit velut donarium consecratus; quæ traditiones non inducunt vinculum repugnans vinculo matrimonij, (nam hæc vincula simul stare possunt; vt patet quando coniuges communi consensu vouent continentiam, vel etiam profitentur in Religione) sed solum repugnans viui matrimonij. Itaque nec professio nec votum continentia irritum reddit contractum matrimonij superuenientem iure naturæ; sed solum iure Ecclesiastico. Hoc tamen Ius anti-

An fugiens peccet contra iustitiam.

2. Inhabilitas ad matrimonium.

antiquum esse colligitur ex Concil. Carthag. 4. cap. 104 cui D. Augustinus interfuit; & ex multis Canonibus 27. q. 1. cap. Viduas. ex Gregorio. cap. Quæ autem. Innocentij I. c. Impudicas. ex Concilio Triburienfi, &c.

69 *3. Solutio matrimonium raturum.*
Tertiò, Matrimonium ratum nondum consummatum antea contractum dissoluit. Est fide tenendum, vt patet ex Conc. Trid. sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem non dirimi, anathema sit.* Idem patet cap. Ex parte. Innocentij III. cap. Verùm. & cap. Ex publico. Alexandri III. de conuers. coniugat.

Petes, Quo iure professio id faciat?

Quo iure. 1. Sententia, iure natura.

Est triplex sententia. Prima est, Iure naturæ id facere: ratio est, quia est mors quædam spiritalis; ac proinde potest dissoluere vinculum spiritale, quale est matrimonij rati, vt pote ex solo consensu ortum: sicut mors naturalis soluit vinculum matrimonij consummati, quod est carnale, ortum ex copula. Deinde quia iure naturæ licitum est transire ad statum perfectionem; quando nulli per hoc fit iniuria. hic autem nulli fit iniuria; quia Ius concedit; ergo, &c. Ita videntur sentire multi Doctores in 4. distinct. 27. D. Thomas, Richard. Durand. Palud. Lopez p. 2. cap. 39. & nonnulli alij. Hæc sententia non est improbabilis.

Sed verius est, professionem non habere hanc vim Iure naturæ. Primò, Quia hæc vincula non repugnant; possunt enim simul stare. Secundò, quia alioquin matrimonium Iure naturæ potius dicendum esset solubile quam insolubile; suppeteret enim cõmune quoddam remedium, quod vi sua naturali illud dissolueret. Tertiò, Si professio ideò soluit matrimonium ratum, quia est status perfectior; etiam soluet matrimonium consummatum, saltem quando nulla est proles, & coniunx consentit hoc constare esse falsum. Quartò, Professio non est vera mors, sed metaphoricè dicitur mors, quia vita mundana deseritur. Vnde non sequitur solui matrimonium ratum: sicut nec alia obligationes priores professione soluantur. Quintò, Quia matrimonium est vinculum non omnino spiritale, cum ex mutua corporum ad vsum corporalem traditione nascatur. quomodo ergo ex natura rei soluitur vinculo merè spiritali? Sextò, Si ratio naturalis consulatur, professio superueniens matrimonio potius videtur esse irrita, quam matrimonium dissolui; quia res huic tradita, non potest validè tradi alteri. Denique, Professio Iure naturæ non dirimit matrimonium contrahendum: ergo multò minus dirimit iam contractum. Antecedens patet; Quia quatenus professio respicit Deum, est solùm promissio sicut votum simplex; non autem propriè traditio: atqui promissio non priuat dominio rei promissæ. retinet ergo talis dominium sui corporis; ac proinde poterit validè illud tradere coniugi. Quatenus autem respicit Religionem, sic continet quidem traditionem sui, sed non magis priuat dominio corporis quam seruitus. Quare sicut seruitus Iure naturæ non dirimit matrimonium contrahendum; ita nec professio; sed id habet ex Iure Ecclesiastico.

2. *Iure diuino.*
Secunda sententia est, Professionem habere hanc vim Iure diuino positio: nam concessu & ordinatione Christi, matrimonij contractum ha-

bere hanc tacitam conditionem, Nisi ad Religionem ante consummationem me contulero. Ita multi recentiores; Victoria, Sotus vterque, Ledesma vterque; Angelus, Corduba, Henriquez, & alij, quos citat & sequitur Sanchez l. 2. de matrimonio, disput. 19. num. 3. Probat, quia initium huius rei non inueniunt in Iure Ecclesiastico, sed à principio nascentis Ecclesiæ fuit in vfu: nam beata Thecla contracto matrimonio, & nondum consummato, sponsum deseruit, & se Deo consecrauit, teste Ambrosio libro 2. de virg. col. 3. Idem fecerunt S. Alexius, teste Metaphraite, & S. Cæcilia, vt habetur in eius Gestis, & S. Macarius, vt refert Gratianus ex Hieronymo c. 26. Scripsit nobis. 27. q. 2. Hæc quoque sententia est valdè probabilis.

Tertia est, Id prouenire ex Iure Ecclesiastico iam inde à temporibus Apostolorum instituto: quæ sententia videtur verior; eamquæ docet Michaël Medina lib. 5. de continentia sacrorum hominum, cap. 86. & 87. Henricus quodlib. 5. q. 35. Hostiensis, Ioannes Andreas, & Anonius de Burtio in cap. Ex publico; de conuersione coniugat. Felinus consil. 26. & multi alij. Probat, Primò, Si professio Iure diuino dirimeret matrimonium ratum iam contractum, non solùm id faceret in Religione approbata, sed etiam in non approbata; quia hæc quoque est status perfectionis, (etsi non habeat omnem eam excellentiam, & firmitatem; quam habet Religio approbata) & continet consilia Christi, & multis sæculis non solent Religiones approbari, sed sen sim ipso vfu permittebantur ab Episcopis, nec dabatur Superioribus iurisdictio spiritualis. Confirmatur, quia professio in Religione approbata & non approbata non differunt Iure diuino, sed solùm Ecclesiastico. Secundò, Idem facerent vota simplicia in Societate, & vota Coadiutorum formatorum, præcisâ omni noua ordinatione Ecclesiæ; quia per hæc efficitur quis verus Religiosus Religionis approbatæ, vt supra dubit. 1. ostensum est; atqui id verum non est; etsi enim hæc vota ex ordinatione Ecclesiæ dirimant matrimonium contrahendum illis superueniens, non tamen dirimunt iam antè contractum, ergo, &c. Tertiò, Si professio Iure diuino id facit, sine dubio id habet ratione voti castitatis; eò quòd vfu matrimonij repugnet huic voto: ergo etiam votum castitatis emissum in manibus Episcopi id faciet: quod constat esse falsum. Confirmatur, quia exempla quæ ipsi adferunt, magis probant de voto castitatis, quam de professione Religionis approbatæ: illi enim Sancti non sunt professi aliquam Religionem approbatam; sed vel castitatem tantum, vt sanctus Alexius, S. Cæcilia, & S. Thecla; (quamvis huius exemplum non virgeat, cum maritum ob infidelitatem relinquere potuerit) vel vitam eremiticam, vt sanctus Macarius. Quartò, Professio Religionis non reddit Iure diuino irritum matrimonium contrahendum, sed solùm ex constitutione Ecclesiæ, cap. Quod votum, de voto. in Sexto: ergo multò minus illo Iure dirimit iam contractum: hoc enim est multò difficilius. Confirmatur, quia professio hoc habet ratione solemnitatis; sed solemnitas est ex institutione Ecclesiæ: ergo habet ex institutione Ecclesiæ. Quintò, Pontifex potest ex causa graui dissoluere matrimonium ratum, vt probabilior opinio tenet: atque hic est sufficiens causa,

3. Iure Ecclesiastico.

causa, nimirum transitus ad statum perfectionis, ad Christi consilia & imitationem: ergo potuit statuere vt in hoc casu dissolueretur: ergo non est recurrendum ad Ius diuinum. **Confir.** Quia Summus Pontifex debet habere omnem potestatem necessariam ad suauem & humanam fragilitatem accommodatam Ecclesiae gubernationem; inquam enim Christi suauis est, & humanae conditioni attemperatum, at qui suauis gubernatio Ecclesiae, & salutem animarum accommodata postulat, vt vinculum matrimonij non consummati ob grauissimas causas interdum relaxetur, vt experientia constat, ergo oportuit Summum Pontificem habere hanc potestatem. Idem dicendum de relaxatione votorum & professionis. **Confirm.** Secundo, quia cum Summus Pontifex sit Vicarius Christi Domini ad Ecclesiam in eius absentia regendam, nec ad Christum in hac vita sit recursus, quantauis inciderit difficultas; oportet illum habere omnem potestatem quam decet habere Vicarium perpetuum in regno remotissimo, cum ad Regem nullum est refugium, quae potestas valde est affinis potestati ipsius Regis. Vnde sicut talis Vicarius posset in quibusdam legibus sui Regis grauissima aliqua causa urgente dispensare: ita mirum videri non debet si Pontifex in quibusdam Iuris diuini (nempe quorum obligatio non est à Deo immediate imposta, sed nuntur actu humano, illumque supponit, sicut obligatio matrimonij rati & voti, & si maneret, saluti detrimentum vel impedimentum graue adferret) dispensare possit. Sed de hoc alibi plura.

Ad rationem contrariae sententiae Respondeo, Id solum probare hoc Ius esse antiquissimum, sicut & multa alia, quae Apostoli, vel Pontifices primis temporibus constituerunt, quorum institutio non inuenitur in Iure scripto, vt supra dictum est. Exempla illa si quid probant, probant non solum professionem Religionis approbatam soluere matrimonium ratum, sed etiam professionem castitatis, & vitam eremiticam; & fortasse ita olim fuit ex ordinatione Ecclesiae: sed postea statutum est, vt sola professio Religionis approbatam hanc vim habeat.

70
4. Priuat
dominio.

Quarto, Professio priuat omni dominio bonorum mobilium & immobilium, & redditu in habilem ad illud, cap. 7. Quia ingredientibus. 19. q. 3. & cap. 9. Si qua mulier. ibidem; quod cap. ex Iure Civili, Authent. de sanctiss. Episcopis, collat. 9. §. Si qua mulier, translaturum est, & Iure Canonico approbatum. *Domino priuat* ratione voti paupertatis, quia hoc votum in professione continet non solum abdicacionem vsus independentis, sed etiam omnis dominij: hoc enim perfecta paupertas requirit, estque secundum consilium Domini, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in caelo.* Idem statuit Ecclesia in Religione faciendum, vt tum ex dictis Canonibus patet, tum ex cap. Monachi. 2. cap. Super quodam. 4. & c. Cum ad Monast. 6. de statu Monachorum.

Dices, Quid si quispiam dum profitetur, intendat dominium non abdicare, sed retinere, saltem ad tempus?

Si intendat
non abdicare
dominium.

Respondeo, Eo casu non fore validam professionem, ac proinde talem non fore Religiosum, spectato Iure communi. & quidem si ita intendat retinere dominium, vt non sit paratus

illud abdicare quando Superior iusserit, professio erit omnino irrita: quia non intendit se obligare ad id, quod est de substantia status religiosi: abdicatio enim dominij saltem in preparatione animi, & quoad vinculum abdicandi, ad substantiam Religionis pertinet. Si verò solum intendat retinere dominium ad tempus, & postea quando Superiori videbitur illud à se alienare, maior difficultas est; quia id statui Religionis non repugnat. Nihilominus certum videtur, stante Iure communi, talem actum non habere vim professionis, nec constituere hominem in statu religioso. **Primo,** Quia professio Iure communi includit actuale abdicacionem; ita vt nulla fiat in Ecclesia sine tali abdicacione: vnde qui profitetur, hoc ipso priuatur dominio, perinde ac si naturaliter moreretur, & heredes ei tamquam mortuo succedunt. **Secundo,** Si quis non intenderet se in omnibus secundum regulam subiicere Superiori, sed aliquid exciperet, in quo sit sui iuris & arbitrij; aut si pro certo tempore non vellet se obligare nisi ad castitatem coniugalem, non valeret professio: ergo etiam non valebit, si non velit abdicare dominium: Iura enim haec omnia aequè ad professionem requirunt. **Tertio,** Quia Praelatus non habet potestatem ad acceptandum talem actum tamquam sufficientem ad incorporandum Religioni; nam Ius ei resistit, & est contra essentialia regula.

Notandum tamen, hanc intentionem retinendi proprium, posse dupliciter haberi in professione. **Primo,** Ex errore priuato, ita tamen vt iste error non sit causa professionis, nec illam restringat, & tunc non irritat professionem; sed per accidens ei coniungitur. Ille enim intendit profiteri absolute sicut oportet, sed priuato errore putat se posse retinere proprium saltem ad tempus: qui error non vitiat professionem, cum illam non afficiat, neque limitet. Simile est in matrimonio, vt si putes te posse seruare continentiam in eo statu, vel ingredi Religionem quando placebit, nihilominus absolute contrahas cum animo te obligandi absolute, & absque limitatione, ad ea quae ratio matrimonij requirit.

Dupliciter
potest ha-
beri inten-
tio proprij.

Secundo, Si error sit causa professionis, vel saltem si intendas, vt professionem restringas, nolendo te nisi hoc modo obligare; tunc professio erit irrita. Error enim iste est circa substantiam professionis & obligationis. vnde tollit consensum necessarium, non minus quam cum est error circa substantiam materiae, vt patet ex dictis supra cap. 40. dubit. 2. Pari modo intentio illa restringit vim professionis, tollendo id quod Iure communi ad eius substantiam pertinet, nimirum vim abdicandi dominij; & retinet Ius illi repugnans. Vnde puto nullam in foro conscientiae ex tali professione oriri obligationem, nisi forte independentem à valore professionis intenderet se ad aliquid obligare.

Dixi, *Stante Iure communi;* quia Ecclesia nouo Iure vel priuilegio posset talem professionem, tamquam sufficientem ad incorporandum Religioni, & ad reliquos effectus professionis suo tempore inducendos, admittere, & tunc valida esset.

Inhabilitatem ad dominium inducit, non ratione voti paupertatis praecise, quia non ideo quis est incapax iuris & dominij, quòd Deo paupertatem

71
Inducit
inhabili-
tatem
pro-

promiserit: nec ratione tacite renuntiationis, quia aliud est de dominio spoliare, aliud inhabilem se ad illud reddere; sed id provenit ex duabus aliis causis. Prima est, Traditio sui in ius Ordinis; ita enim se tradit Ordini, ut partim mancipio, partim filiofamilias comparetur, quorum neuter sibi acquirit, sed ei in cuius potestate est, ut infra dubit. 11. dicitur. Secunda est, Decretum Ecclesie professioni annexum. hoc enim non solum traditionem illam confirmat, ita ut ille non possit veluti manumitti aut emancipari sicut servus vel filius, aut sui iuris effici; sed etiam illum directè incapacem dominij acquirendi facit, sicut eiusdem Ecclesie decretum reddit profitentem inhabilem ad matrimonium. Confirmatur, quia non apparet ratio, qua quis se ipsum sua auctoritate ad huiusmodi inhabilem & incapacem facere possit. quantumvis enim quis promittat, voueat aut iuret, se nunquam matrimonium cum hac vel illa contracturum, aut rem aliquam comparaturum; non ideo efficitur inhabilis, ita ut si contra faciat, sit irritum. Idem dicendum de dominij abdicatione: debet igitur hæc res ex lege & potestate Superioris provenire, sicut irregularitas & inhabilitas ad beneficia, vel officia; quam nemo sine Ecclesie constitutione sibi irrogare potest. Qui autem huiusmodi inhabilitates constituere possunt, pertinet ad 1. 2. quæst. 96. Similis inhabilitas annecti potest voto simplici, & reipsa annexa est votis Coadiutorum formatorum in nostra Societate.

5. Priuat potestate vtendi suo iure.

Quintò, priuat potestate vtendi rebus suo iure, seu absque dependentia à voluntate Superioris. Facit hoc præcisè per votum paupertatis: in hoc enim paupertas Religiosi essentialiter consistit, ut quis non possit vlla re vt, aut vllam rem possidere absque Superioris arbitrio; & vt sit paratus omni momento omne ius à se abdicare. Vt autem careat re ipsa omni dominio, vel vt sit incapax illius, non est de essentia paupertatis religiosæ; sicut nec de essentia castitatis religiosæ est, non esse coniugatum, aut esse incapacem coniugij.

Consecratio.

Ex dictis sequitur Primò, Religiosum, si aliquid donauerit vel alienauerit absque consensu Superioris, non solum peccare mortifere violando votum paupertatis; sed etiam dispositionem esse irritam, & eos, qui acceperint, teneri ad restitutionem: quia caruit potestate disponendi. Idem dicendum, si fecit quidem ex consensu Superioris, sed Superior consensum dare non poterat: vt si expendit in rem turpem; vt supra cap. 4. dubit. 5. & cap. 18. dub. 11. dictum est.

Non potest testari.

Sequitur Secundò, Religiosum non posse validè testari; quod etiam habetur expressè cap. Quia ingredientibus. 19. quæst. 3. & Authent. de Monachis. §. Illud quoque. Ratio est; tum quia per professionem priuatus est omni dominio, & incapax illius redditus: tum quia quidquid acquirit, Monasterio acquirit: vnde nihil habere potest de quo testetur. vide Nauarrum comment. 2. de Regul. num. 44. & sequentibus. Potest tamen hæc facultas testandi de aliquibus rebus, quarum administrationem vel vsum habebat, ei concedi per Summum Pontificem, vt idem Nauarrus numero 57. & 58. probat, & Couarru. cap. 2. de testamentis numero 17. sicut enim potest ei fieri potestas alienandi donatione inter vivos; ita etiam donatione mortis causa, & per testamentum; ad

hoc enim non requiritur dominium, sed sufficit administratio, & consensus eius qui illum dare potest. Sic Pontifex aliquando concedit potestatem testandi Religiosis beneficiariis, vt extra Monasterium sua industria viuentibus, vel in Monasterio administrationem aliquarum rerum in proprium commodum habentibus. vt tamen hoc licitè fiat, debet subesse iusta aliqua causa, quia est contra Canones. vnde solus Pontifex hanc facultatem concedere potest, vt docet Nauarrus supra. quidam putant esse quamdam voti relaxationem & dispensationem: sed verius est non esse, sicut nec est dispensatio voti, quando Pontifex alicui concedit peculium.

Sextò, Professio soluit vota simplicia priora, etiam Religiosis strictioris ingrediendæ, eaque commutat in vota solemnia Religionis illius in qua agitur; cap. Scripturæ. 4. de voto, & cap. Qui post votum. 5. de Regularibus, in 6. Simili modo matrimonium dissoluit sponsalia etiam iurata. vide supra cap. 40. dub. 16. n. 106.

Septimò, Delet omnia peccata. Ita D. Thomas quæst. 819. art. 3. ad 3. & Caietan. ibidem. Antoninus 3. par. tit. 16. cap. 3. §. 3. vbi pro eadem sententia adfert Paludanum in 4. dicit. 38. quæst. 4. artic. 1. Thomas Waldensis de Sacramentis, tit. 9. cap. 80. Angelus v. Religiosus, n. 47. & alij Summistæ. Vide Hieronymum Platum lib. 1. de bono status religiosi cap. 13. vbi hoc eleganter explicat & confirmat. Sed hoc intelligendum de reatu peccati, quæ remissa culpa manet: culpa enim, præsertim mortifera, non remittitur nisi per contritionem vel vsum Sacramenti. Ratio est, tum quia per professionem vetus homo & veteres mores exuuntur, (saltem proposito & statu ipso) & induuntur noui; vnde censetur mors quadam vitæ mundanæ: tum quia qui se suaque omnia diuino obsequio mancipat & obstringit, huiusmodi beneficio dignus est. Hinc Patres susceptionem habitus monastici solent comparare Baptismo. Hieronymus epist. 8. & 25. Leontius in Vita Simeonis Abbatis, Anselmus lib. de Similitudinibus, e. ultimo, Bernardus lib. de Præcepto & dispensat. quorum testimonia refert Platus. ex quibus etiam colligas, professionem habere hanc vim quasi ex opere operato, sicut martyrium, si nullus ponatur obex.

Octauò, Tollit irregularitatem, quæ est ex defectu natalium, cap. 1. de filiis presbyterorum. & cap. 1. d. 56. ceteras autem iure communi non tollit; quia iure non est expressum, vt docet Abbas in cap. Ex litterarum, de apostatis: alia verò tolluntur specialibus variorum Ordinum priuilegiis. Vnde falluntur qui putant tolli irregularitatem quæ est ex homicidio, vel bigamia, vt bene notat Nauarrus comment. 2. de Regul. n. 60. Nec obstat Authent. de Monachis, vbi significatur, vt quidam dicunt, omnem irregularitatem Religionis ingressu tolli: quia non loquitur de irregularitate, sed de peccatis: ait enim, *vitam monasticam ita hominem Deo coniungere & appropriare, vt omnem humanam labem abradat, & purum reddat*, vt patet ex textu Græco: *στίλθαι enim ἀνδρῶν* & apud Græcos sunt peccata, & peccatorum sordes, non irregularitas. Adde, irregularitatem, quæ est ex defectu natalium, non penitus tolli per professionem; (quia talis non potest eligi ad Prælaturam; vrad Abbatiam virorum aut feminarum, nec ad bene-

72
6. Commutat vota.

7. Delet omnia peccata.

73
8. Irregularitatem tollit.

beneficium habens curam animarum) sed solum ex parte, vt possit ordinari, & beneficium simplex obtinere, vt recte Nauar. supra, ex cap. 1. de filiis presbyterorum.

D V B I T A T I O IX.

Ad quid teneatur Religiosus ex vi cuiusque voti.

74
Votum
obedientia
ad quid
obliget.

Respondeo, Ratione voti obedientia tenetur Primò, ad præcepta regulæ.

Secundò, Tenetur non agere contra regulam aut mandatum Superioris ex contemptu: nam per votum obedientia subiecit se regulæ & potestati Superioris: ac proinde se obligauit generatim ad viuendum secundum regulam, & ad obediendum Superiori præcipienti consentaneè regulæ: in qua obligatione primò omnium cõtinetur, vt regulam & mandata Superiorum non contempnat; sed generale propositum retineat iis se conformandi; contemptus enim euertit rationem formalem obediencia, atque adeò totum fundamentum obediencia. Hinc passim DD. tradunt, Regularem peccare mortifèrè, si ex contemptu regulam vel Superioris iussa violat. de quo vide D. Thomam 2. 2. quaestione 186. artic. 9. ad primum, & Caiet. ibidem.

Ex con-
temptu
peccare.

Censetur autem ex contemptu violare, qui contra facit, non ex negligètia, vel cupiditate, sed quia non vult regulæ aut Superiori esse subiectus, vt ait Caietanus. deinde qui directè eo fine violat, vt Superioris mandatum, aut regulæ ordinationem ostendat se nihili facere: hæc sunt valdè graua, nec possunt cadere nisi in malignum animum, Institutum sui, & iudicij auctoritatisque Ecclesiæ, qua Institutum est confirmatum, & potestas Superiori tradita, contemptorem. Putat tamen Caietanus v. Inobediencia, contemptum præcepti in re minima non esse peccatum mortale; de quo infra c. 46. dub. 6 num. 45.

Præcepta
Superioris.

Tertio, Tenetur ad omnia, quæ Superior iuxta regulam seu Institutum præcipit. & quidem si præcipiat in virtute sacrae obediencia, tenetur obedire sub peccato mortali; tunc enim Superior ex more Religionibus visitato intendit illum obligare quantum potest, atq; adeò sub peccato mortali. Si autem hac forma præcipiendi non vtatur, non videtur velle obligare sub peccato mortifero, nisi id aliunde constet: videtur tamen obligare sub veniali, si aliquo modo mandet: tum quia non intendit cõsulere & suadere dumtaxat, sed aliquo modo præcipere & obligare, quamuis non tantum, quantum possit. (valdè autem probabile est, Superiorem posse suam potestatem, suumque præceptum ita moderari, vt solum ad peccatu veniale obliget, etiam si alioquin materia sit grauis) tum quia ipsa ratio disciplinae religiose postulat vt inferior obtemperet; etiam si illi extremum præceptum non imponatur. Si tamen ita præcipiat, vt non intendat absolutè obligare pro conditione materiae, probabile est subditum non obligari sub aliqua culpa, sed solum sub pœna & correctione regulari; quo modo ipsa regulæ obligant; de quo plura 1. 2. q. 96. tractat. de legibus.

Si contra
regulam

Quarto, Si Superior præcipiat aliqua contra regulam, non tenetur inferior obtemperare; nisi

forte ille possit in ea parte regulæ dispensare, & legitima causa contrarium præcipiendi subbit. ita Caietanus q. 104. art. 5.

Quintò, Si præcipiat aliquid supra regulam, non tenetur inferior. Est communis sententia DD. vt ostendit Corduba in regulam S. Francisci c. 10. q. 2. Idem dicendum si præcipiat infra regulam, id est laxiora quàm regula præscribat, nisi causa iusta subbit. Hinc D. Bernardus lib. 1. de præcepto & dispensat. col. 4. *Praelati iussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi circa. Nihil me Praelatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat quàm promisi. vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Et infra: *Monentes eos, non cogentes ad celsiora, condescendentes eis, cum necesse fuerit, ad remissiora.* Ratio est, quia Superior est custos regulæ & Instituti, non auctor; eiq; potestas datur, vt subditos secundum illam perficiat, non vt ad maiora obliget. quæuis enim Religio suam vitæ mensurâ, suum exercitiorum modum sibi præscriptum habet, qui regulis & constitutionibus cuiusque exprimitur, ad quem vt perducatur, instituuntur Superiores. Accedit quòd inferior ex vi voti sui non intendat se obligare, nisi ad viuendum & obediendum secundum proprium Institutum, vt docet D. Thomas quodl. 10. art. 10. & alij communiter.

Hinc sequitur, non solum Superiorem Regularem non posse ratione voti obediencia obligare subditum ad ea quæ sunt super vel contra vel infra regulam; (nisi ex causa, quæ tamen fit secundum regulam) sed nec Summum Pontificem: quia hic non potest amplius ex vi voti, quàm Superior Regularis; cum inferior non magis illi quàm huic se intenderit per votum obediencia obligare, quamuis vt Pastor vniuersalis Ecclesiæ (cui Dominus omnem potestatem necessariam ad bonam Ecclesiæ administrationem in oues contulit) plura præcipere possit quàm Superior Regularis, verbi gratiâ, capessere Episcopatum, vel aliam dignitatem extra Religionem; quod tamen Praelatus Regularis præcipere non potest, vt ex D. Bernardi sententia aperte conuincitur.

Supra regulam, iuxta Cordubam, sunt, ire ad infideles, vbi est manifestum periculum mortis vel seruitutis, ieiunare longo tempore, abstinere à carnibus ad vnum mensem, quando regula non præscribit, & similia.

Hic tamen duo Noranda sunt. Alterum est, Etiam si huiusmodi longè abstinentiæ, & similia quæ non sunt secundum regulam, non possunt imponi ad exercitium virtutis; possunt tamè ob alias causas. Primò, In iustam pœnam alicuius criminis: id enim est secundum regulam. Secundò, Si putentur necessaria ad seruanda vota. Sic præcipitur clausura Monialibus arctissima, etiam si talem antè non vouerint; quia experientia docuit, hanc esse necessariam ad custodiam castitatis, quam vouerunt. Sic etiam possunt præcipi ieiunia, & alia austeritates ad superandam aliquam tentationem. si tamen non putentur necessaria, non potest subditus ad ea obligari, vt docet Corduba supra, & Siluester Religio 6. quaestione 6. Tertio, Ob aliquam publicam necessitatem possunt quedam austeriora ad tempus omnibus imponi; quia & hoc regulæ consentaneum. Sic Ecclesia præcipit ieiunia, vigiliae, &c.

Alte-

Alterum est, Regulas & constitutiones in diuersis Religionibus esse varias; ac proinde potestatem præcipiendi & obligationem obediendi variam esse, & ad plura vel pauciora, prout regula disponit, extendi; nam in regulis Minorum c. 10. præcipitur, ut obediatur in omnibus, quæ non sunt contra regulam vel animam: in constitutionibus Societatis Iesv, ut obediatur in omnibus, in quibus non cernitur manifestum peccatum. Itaque omnia prædicta, quando iusta causa præcipiendi subest, censeantur secundum regulam præcipiendam, & subditus tenetur ex vi voti obedire. In aliis Ordinibus obligatio obediendi non tam late patet.

Dico quando iusta causa subest, quia nullus Superior, ne Pontifex quidem, potest ad aliquid obligare sub peccato mortali, nisi sit materia grauis, capax tantæ obligationis. grauis, inquam, vel per se, vel ratione circumstantiarum, quæ iustam causam sic præcipiendi adferant, vt docet Siluester supra, etque communis sententia Doctorum. vnde nec præcepta diuina obligant sub tali peccato; nisi talis materia subest.

Quando censetur aliquod præcipiendum regulam.

76 Petes, Vtrum in dubio sit obediendum Superiori? Videtur non esse. Primum, quia nemo potest cum dubia conscientia operari: alioquin exponit se periculo peccandi. Secundò, quia in dubio melior est conditio possidentis, at subditus est in possessione suæ libertatis. Tertiò, in dubio fauendum est reo, & illi de cuius præiudicio agitur.

Dico Primum, Si dubium sit de potestate, nimirum, vtrum sit legitimus Superior, in tali dubio non est necesse parère. Et hic locum habet secundum argumentum, *Melior est conditio possidentis*. subditus enim per se ab huius obedientia liber est; ergo non debet ei subijci, nisi moraliter constet esse Superiorem. sic nemo obligatur lege, de qua dubitatur an sit lex. In dubio tamen habendus est Superior, si communis præsumptio illi fauet; argumento in L. Barbarius. 7. de officio Prætoris.

Dico Secundò, Si constat de potestate, sed dubitatur de materia, an sit licitum hoc facere; perseverante hoc dubio, non potest obedire. Hoc probat primum argumentum. nullo enim casu licitum est facere id de quo dubitatur an sit licitum. quia exponit se periculo peccati. Hoc modo intelligendus Adrianus quodlib. 2. a. 2. littera D. cum dicit; *Nullus dubitans de actu an sit mortalis an non, licite obedit, ipso sic dubitante.*

Tenetur dubium deponere. Dico Tertiò, Tenetur tamen subditus, si potest, consideratis omnibus circumstantiis & principiis practicis, hoc dubium deponere; quo facto tenetur obedire. & hoc sensu communiter docet DD. subditum in dubio teneri Superiori suo obtemperare. D. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 6. in corp. & ad 2. Caiet. & Medina ibid. D. Bonauent. in 2. d. 39. a. 1. q. 3. in fine. Angelus v. Obedientia, nu. 6. Siluest. nu. 2. Fumus nu. 4. Sotus de secreto, num. 3. q. 2. Lopez 1. p. cap. 56. & c. Teneri subditum deponere dubium si potest, perspicuum est; quia tenetur considerare actum vt hic & nunc faciendus præcipitur, id est, cum omnibus circumstantiis occurrentibus, illumque expendere non solum secundum principia intrinseca & propria actui, sed etiam secundum extrinseca & communia: & si secundum hæc appareat esse licitum, tenetur facere. nam dubium tunc non perseverat practice, sed solum speculatiue, nimirum, an per se abique

illis circumstantiis, & consideratis principiis propriis sit licitus: practice autem constat esse licitum, & prudenti iudicio talis iudicatur. Confirm. Quia Superior est in possessione iuris imperandi; & in dubio nemo est spoliandus iure suo, ergo parendum. Neque similiter dici potest, etiam subditum esse in possessione suæ libertatis. quia generatim constat illum abdicasse suam libertatem in Superiorem. Vnde cum in ceteris Superiori subest, præiudicium etiam in hoc casu subesse, nec esse sui iuris. Principia autem communia, vnde præceptum Superioris possit prudenter iudicari licitum, sunt hæc: multum deferendum auctoritati & prudentiæ Superioris; Superiores à Deo singulari modo gubernari in subditis dirigendis; prudentis esse non suo iudicio in rebus propriis confidere, sed potius alterius; & maxime Superioris, quem loco Dei habet; ex reculatione obedientiæ, cum causa manifesta assignari non potest, posse nasci scandalum aliorum, & ex duobus malis, quod minus est eligendum; & similia, quibus etiam doctissimi viri sese Superioris iudicio accommodare in dubio possunt.

Aduerte tamen, cum diximus in dubio obtemperandum, limitari à multis DD. vt à Soto, Medina, Lopezio, & aliis nonnullis: nisi obediendo aliquod graue incommodum in persona, honore, vel rebus, ei qui obedit, vel alteri timeatur; non obediendo verò, nihil incommodi metuendum sit. tunc enim si dubium sit de bonitate operis, vel de obligatione præcepti, non tenetur parère; sed vt obligetur, debet moraliter constare rem esse licitam, & præceptum hic & nunc esse obligatorium: vt cum præceptum tendit ad punitionem, sicut quando Iudex reum & testes examinat criminaliter. Nam in dubio fauendum est reo, & ei de cuius damno agitur. est enim inferior non sit in possessione suæ libertatis, est tamen in possessione suæ securitatis; seu Iuris, quo se potest in rebus periculosis conseruare. Confirm. quia in dubio nõ debet præsumi auctoritas Superioris valere in alterius graue præiudicium, cum nihil incommodi notabilis ex non obediendo sequatur, vt patet in exemplo de reo & teste; nam inobediencia est occulta, & punitio ista non est necessaria. Idem dicendum in causa vestigalium, & similibus, vbi agitur de graui subditorum præiudicio. Vbi supra cap. 33. dubit. 1. & 6. Si tamen par vel grauius incommodum sequeretur ex non obediendo; in dubio teneretur obedire; vt si graue damnum publicè vel priuatim impendens non possit aliter impediri, iuxta ea quæ dicta sunt cap. 29. dub. 15. & cap. 31. dub. 3. vbi vtriusque incommoda sunt expendenda: & illis paribus, etiam in dubio obediendum.

Dico Quartò, Quando seposito præcepto, ceteris omnibus circumstantiis spectatis probabile est opus esse illicitum, non tenetur subditus parère. Ratio est, quia potest se probabili sententiæ conformare. Confirm. quia in tali casu, nec votum, nec iuramentum, nec ipsa lex diuina aut naturalis obligat: ergo nec præceptum Superioris. Potest tamen obedire, si contrarium etiam est probabile, vel si per extrinseca principia sibi iudicium prudens de opere formare potest.

Ex voto castitatis tenetur, Primum, Abstinerere à coniugio. Deinde ab omni actu interno & externo, qui sit contra castitatem; vt à turpibus cogitationibus & delectatione morosa, à pollutione,

Limitatio.

77
Votum castitatis.

ab omni actu venereo, à turpi contactu, ab impudico aspectu; denique ab omnibus iis, quæ aliquo modo sunt contra virtutem castitatis. Quidquid enim in secularibus extra coniugium est aliquo modo peccatum contra castitatem, est in Religioso etiam sacrilegium contra votum; ac proinde duplicem habens malitiam: ita tamen ut malitia sacrilegij sit mortalis in iis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis verò, in quibus illa est venialis.

78
Votum
paupertatis.

Ex voto paupertatis tenetur, Primò, Ut nihil velit habere, possidere, vel uti tamquam proprium, id est, affectu retinendi iure suo, seu independenter à voluntate Superioris; cap. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum.

Secundò, Ut sit paratus exui possessione & usu, omni momento quo Superior iusserit, quia non potest hæc retinere nisi cum dependentia à voluntate Superioris; alioquin esset proprietarius, ut constat ex d. cap. Cum ad Monasterium.

Tertiò, Non potest aliquid dare vel alienare, nisi cum facultate Superioris; & si contra fecerit, est irritum.

Dispensare,
erogare.

Quartò, Si est dispensator aliquarum rerum, non potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed solum ex præcepto & mente Superioris, ita ut non det alia, nec plura vel pauciora, nec meliora vel deteriora, quam scit Superiorem velle: qua parte enim recedit à mente Superioris, incurrit in vitium proprietatis; nam ita dispensat ac si esset dominus, & ab alterius arbitrio non penderet.

Comodare.

Quintò, Non potest mutuò vel commodatò quidquam ex iis, quæ ad usum ipsi permittuntur, dare alteri absque Superioris facultate. Ratio est, quia est solum usufructus, habens nudum usum facti; (vt Nicolaus IV. Extravaug. Exiit, ait) idque precariò, quamdiu Superiori videbitur. usufructus autem non potest alteri usum rei concedere; hoc enim non est usufructus, sed usufructuarius. Institut. de usu & habitate. §. 1. & 2. In rebus tamen paruis & crebrò occurrentibus censetur esse facultas tacita vel generalis, saltem ad breue tempus.

Ab aliis
accipere.

Sextò, Non potest ab externis vel domesticis quidquam accipere absque Superioris consensu: sicut enim non potest quidquam retinere sine illius consensu, ita nec acquirere, d. cap. Cum ad Monasterium. §. Si quidquam alicui.

Vsurpare
sibi ali-
quid.

Septimò, Non potest ex rebus, quæ domi sunt, sine illius consensu aliquid sibi usurpare, siue sint esculenta, siue poculenta, siue libri, siue alia utensilia; cum enim nihil istorum ipsius sit, sed communitatis, cuius loco Superior habet administrationem omnium, non potest invito Superiore quidquam sibi usurpare: alioquin furtum committit, usurpans rem alienam invito domino, seu administratore, qui est loco domini: & consequenter peccat contra votum paupertatis: omne enim furtum in Religioso est contra votum. & prout est mortale vel veniale in ratione furti, ita in ratione sacrilegij, cum eadem vtriusque sit materia. Deinde usurpat rem tamquam proprietarius, quia absque dependentia à Superiore: ergo, &c.

Abscondere.

Octavò, Non potest quidquam abscondere ut illud Superioris liberae dispositioni subducatur: hoc enim semper iudicatum fuit continere culpam proprietatis. Colligitur cap. Super quodam. 4. & cap. Cum ad Monast. 6. de statu Monachorum;

vt Ioannes Andreas, Archid. & alij Doctores notant, proprium dici quiddam celas Prælatum, vel contra eius voluntatem tenes.

Proprium
quid.

Nonò, Non potest expendere in res illicitas aut vanas, etiam si Superior id ei permitteret. Ratio est, quia Iura & Canones non concedunt administrationem Regularibus, nisi ad res necessarias, viles, aut honestas; prohibent autem ad vanas & illicitas: atqui non habent maiorem facultatem quam Iura eis concedant; nec Superior potest aliquid contra Iura concedere. Vnde peccat Regularis contra votum paupertatis si in huiusmodi expendat; v. g. si in turpia, si in vestes sericas, in sumptuosa conuiuia, in canes venaticos, falcones, equos generosos, in vanas picturas, lectisternia, &c. vide Clem. 1. de statu Monachorum.

Expendere
in vana.

Decimò, Tenetur præstare eam diligentiam in rebus ipsi permittis conseruandis, quam usufructus, qui precariò vitur; vnde tenetur vitare culpam latam: hæc enim tenetur vitare omnis qui aliquid precariò accipit; L. Quæritum est. §. Eum quoque. 7. de precario: itaque si res ipsius negligentia pereat vel deterior fiat, peccat contra iustitiam, & consequenter contra obligationem voti. Quod confirmatur; quia si dolo illam destrueret, vel deteriorem redderet, peccaret contra votum: ergo etiam si ex culpa lata; nam hæc ad eandem speciem pertinent, & culpa lata dolo æquiparatur. Quòd si res concessa sit etiam in ipsius proprium commodum, videtur etiam teneri ex culpa leui; sicut in commodato, quod in vtilitatem commodantis & commodatarij præbetur, iuxta L. In rebus. v. Hoc itaque. 7. Commodati. & cap. vnico, de commodato. Sed non videtur hoc ita seuerè in Religione interpretandum.

Conseruare.

Vndecimò, Denique tenetur cauere ne habeat superflua, saltem notabili quantitate, quæ religionem mediocritatem notabiliter superant. quia nec Superior id ei concedere potest, cum sit per Canones prohibendum. Idem dicendum de pretiosis vestibus, vt docet Nauarrus comment. 4. num. 27. quia prohibentur Clement. 1. de statu Monachorum. si tamen ille paratus est omnia ad nutum Superioris relinquere, non est dicendus proprietarius, vt docet Siluester Religio 6. quaest. 7. vers. Quartò, ex Archidiacono.

Circa prædicta tria Notanda. Primum est, Considerandum esse in quibus rebus, & quouel que censetur in singulis Ordinibus & Monasteriis concessa facultas generalis: hæc enim sufficit vt non peccet contra votum, dando vel accipiendo, retinendo vel vtendo. In Monasteriis tamen bene ordinatis non conceditur hæc facultas passim omnibus, nisi in rebus minoris momenti & crebrò occurrentibus.

79
Facultas
generalis.

Secundum est, Interdum excusari inferiorem per *Emendat*, à facultate petenda; vt si res urgeat, nec Superior præstò sit; tunc enim potest agere perinde ac si venia expressam haberet: nam adest consensus præsumptus. non enim mens est Superioris, vt eo casu non agat quod ratio dicat, aut vt consentium expressum requirat. non tamen adest consensus præsumptus, quando res facillè differri potest, vel Superior adiri.

Dices, Si peterem à Superiore, consentiret. Respondeo, Id satis non esse, alioquin omnes ferè donationes, acceptationes, & vsus, qui à Superiori-

Obiectio
Resp.

An fuffi-
ciant quod
concederet
fi peteres.

perioribus concedi solent petentibus, in Religione essent liciti absque expressa venia: quod est euertere obedientiam regularem. Ratio est, quia non ex eo cessat vinculum legis, quod Superior dispensaret si peteres; per hoc enim non dispensat re ipsa, nec ideo rem istam retinere potes, quia dominus eam donaret si rogares: nam per hoc non donat re ipsa. cum enim conditio illa non ponatur in re, non ponitur quoque id quod ex ea sequeretur. eodem modo dicendum in nostro casu. Itaque requiritur, non solum ut concederet si peteres, sed etiam ut re ipsa censetur concedere, quamuis non petas; & ut ipse non velit te cum illis circumstantiis petere. Sicut ut vinculum legis cesset per dispensationem, requiritur ut mens legislatoris sit, hoc casu te non obligare ut agas secundum verba legis, aut ut petas dispensationem.

Crediderim tamen non esse peccatum mortale, quando sciret, vel bona fide putaret inferior, eum erga se esse Superioris affectum, ut libenter esset concessurus, si sciret ipsum tali re egere, vel tale quid desiderare; tunc enim censetur habere ex voluntate Superioris, saltem virtuali, quae in affectu illo latet. Peccat tamen venialiter; quia etsi illam rem habeat quodammodo ex voluntate Superioris; modus tamen illam sibi viurpandi est contra eius voluntatem. Pari modo, in furto non est peccatum mortiferum, quando quis scit affectum domini in se talem esse; aut certe, quando dominus rem parui aestimat, aut ita in aliquem est affectus, ut nolle illum graui obligatione teneri; iuxta ea quae dicta sunt supra cap. 12. dub. 8.

80 Tertium est, Quando Religiosus peccat contra votum, ferè semper esse duplex peccatum; eum duplici malitia diuersae speciei contra diuersas virtutes. Idque primùm manifestum est in peccatis contra votum castitatis: in quibus omnibus ratione materiae est prauitas luxuriae contra castitatem; & ratione voti malitia sacrilegij, aut infidelitatis in Deum contra virtutem Religionis. In iis quae sunt contra pauperatam, praeter malignitatem violationis voti, ferè semper connexa est alia contra iustitiam, ut cum rem alienam inuito domino sibi usurpat, aut res monasterij clanculum externis donat. Non tamen haec absolute semper adest, ut si etiam Superiore aliquid ab externis accipiat & abscondat, quod ille externus in ius Monasterij venire nolit. Tunc enim etsi peccet contra votum, usurpando sibi istius rei dominium & usum, independentem à Superiore; non tamen contra iustitiam. Si tamen illud absolute daretur absque tali restrictione, transiret statim per acceptationem & traditionem in dominium Monasterij. Nam quidquid Religiosus acquirit, Monasterio, non sibi acquirit. vnde si tunc contra voluntatem Superioris sibi usurperet, etiam furtum committeret. Denique quando contra votum obedientiae violando praecipit Superioris in re graui agit; peccat non solum contra votum ac promissionem Deo factam, cui promissit huic homini tamquam eius vicario obedire; sed etiam contra virtutem obedientiae, quam subditus omnis debet Superiori legitima potestate praedito. atqui Praelatus in Religione habet potestatem regendi & imperandi communicatam sibi à Summo Potifice, ut supra dubit. 1. num. 10. dictum: ac proinde hoc ipso quo sumus membrum communitatis illius cui ipse praest, tenemur ei obedire. sicut si

quis voueret Deo, obedire Episcopo vel Principi legitime praecipienti, duplex peccatum admitteret non obediendo. Secus si confessorio vel alteri nullam iurisdictionem in eam communitatem, cuius est membrum, habenti; ut patet ex dictis dubit. 1. num. 10. tunc enim non obediendo solum peccaretur contra votum.

Dices, Quod ego sum membrum huius corporis, ac subditus Praelato, id totum prouenit ex voto. ergo solum peccatur contra votum. tota enim ratio obligationis ex voto pendet. sicut cum quis habens votum solemne contrahit matrimonium, solum peccat contra votum, etiam si contra legem impedimenti dirimentis faciat, quia impedimentum ex voto pendet, & propter votum inductum est. Vbi enim vnum est propter vnum, ibi tantum censetur esse vnum.

Resp. Negando antecedens proprie loquendo. non enim formaliter per votum, sed per traditionem sui in ius Religionis, & acceptationem Superioris; fit membrum illius corporis & subditus: votum autem solum est conditio. sicut promissio seruandi statuta Collegij est conditio ut quis fiat collegialis, non tamen per illam formaliter inseritur Collegio, sed per traditionem sui in ius Collegij, & acceptationem Superioris. Itaque obligatio voti, & obligatio parendi Superiori habenti iurisdictionem, sunt diuersae obligationes. Secus si ille non haberet iurisdictionem. Quod autem adfertur de voto ut est impedimentum matrimonij; si loquamur de Religioso professo ducente uxorem, committit duplex peccatum, vel potius triplex. primò, contra religionem voti; secundò, contra castitatem, praesertim si habet animum consummandi: tertio, contra iustitiam, facit enim iniuriam Religioni cuius est membrum, & in cuius est potestate, tradendo se in potestatem alterius. si verò de ordinato sacris non Religioso, peccat contra votum & castitatem. Neuter tamen committit peculiare peccatum contra legem matrimonij: quia tota ratio cur impediatur contrahere, pendet ex voto, & ex eo quod sit in potestate alterius: vnde in contrahendo non reperitur noua deformitas distincta à praedictis.

DUBITATIO X.

Vtrum bona Religiosi transcant in Monasterium per professionem, si aliter de illis antea non disposuerit.

81 Respondeo, & Dico Primò, Si Monasterium habet ius successionis, omnia bona Religiosi, de quibus ipse antea non disposuit, per professionem iure communi transcant in illud Monasterium. est communis sententia DD. vide Monasterium Nauarrum comment. 2. num. 44. & sequent. ius autem succedendi habent omnia Monasteria Regularium, praeter Domo & Collegia Societatis Iesu, Minorum de obseruantia, & Cappucinarum. Societas enim per suas Constitutiones hoc iure caret, non solum in Domibus professis, sed etiam in Collegiis: Minoritae & Cappucini per suas Regulas. ceteris omnibus Ordinibus virorum & mulierum, etiam Mendicantibus, concessit

*Mendican-
tes qui iur-
cedant.*

Concilium Trident. sess. 25. de Regul. c. 3. vt bona immobilia possidere possint: vnde etiam vt in eis succedant. nam ante Concilium poterant ceteri Mendicantes succedere, sed tenebantur bona immobilia vendere, vt docet Nauarrus ex aliis n. 50. nunc autem possunt retinere.

Probatum conclusio ex Nouella Iustiniani 5. quæ est de Monachis, cap. 5. *Illud quoque decernimus, qui in Monasterium intrare voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere suis vti quo voluerit modo. ingredientem namque; vna sequentur omnino res, etiam si non expressim dixerit se illas inducere: & non erit dominus illarum vterius villo modo: quæ posteriora verba etiam habentur Authent. Ingressi, C. de sacrosanctis Ecclesiis. Ad dicitur in prædicta Nouella; Si filios habeat, iis solùm legitimam debere, cetera Monasterio. & Nouella 123. cap. 38. Si qua mulier, aut vir Monasticam elegerit vitam, & intrauerit Monasterium, filius non extantibus, Monasterio quod ingreditur, res eius competere iubemus. Si vero talis persona filios habeat, & non ante quam intret Monasterium, de suis rebus fecerit dispositionem, & legitimam partem filius deputauerit: etiam sic liceat ei postquam Monasterium intrauit, suam substantiam in proprios filios distribuere; ita tamen vt nulli filiorum suorum minuat legitimam partem. pars vero quam filius non dederit, Monasterio competat. Si vero omnem substantiam inter filios diuidere voluerit, propria sua persona filius connumerata, vnam sibi parte omnibus modis retineat, quæ iuri Monasterij competere debeat. Si vero in Monasterio degens moriatur antequam inter filios res suas distribuatur, legitimam partem filij percipiant, reliqua vero substantia pars Monasterio competat. eadem habentur Authent. Si qua mulier de sacrosanctis Ecclesiis. & cap. 9. Si qua mulier. 19. qu. 3. Idem probatur cap. 7. Quia ingredientibus. 19. quæst. 3. ex epist. 7. lib. 7. registri Gregorij Magni, vbi sic dicitur: *Quia ingredientibus Monasterium conuertendi gratia, vterius nulla sit restandi licentia, sed vt res eorum eiusdem Monasterij sint, aperta legis definitione decretum est.**

*82
Ratio Con-
stitutionis
Iustiniani.*

Est autem hæc Constitutio rationi valde consentanea. Primò, Par enim non est vt dum quis se totum mancipat obsequio diuino, res suas faciat seruire mundo; & qui corpus suum tradit ad penitentiam, bona sua relinquat sæcularibus ad luxum. postulat enim ratio, vt non solum se, sed etiam omnia sua Deo seruire faciat. Secundò, Quia cum in Monasterio viuere, & ab eo alimenta percipere cupiat, par est vt illi potius res eius cedant, quam aliis quibus nihil debet, & à quibus nihil expectat. Tertiò, Quia cum sit consilium Christi vt dentur pauperibus, nullis pauperibus conuenientius dari possunt, quam iis qui sunt pauperes spiritus, quorum est regnum caelorum, & qui possint recipere in æterna tabernacula; quales sunt Religiosi. Denique quia sic augetur cultus diuinus & numerus Deo seruientium.

*Quo modo
post profes-
sionem bo-
na sua dis-
tribuat.*

Circa prædicta quædam sunt annotanda. Primò, Si iis qui proficetur, habet liberos, ei permitti vt distribuatur eis sua bona post professionem, si id ante non fecit. facit autem hoc non vt dominus, sed vt administrator constitutus à Iure ad hunc effectum: testari tamen tunc non potest, quia id ei non est permissum, vt docet Nauarrus commentar. 2. num. 45. & meritò, quia factio testamenti

maiores præ se fert imaginem dominij, quam nulla illa distributio.

Dices, Hæc constitutio est Iuris ciuilibus, per quod non potest concedi administratio aliqua Religioso professo.

Respondeo, Eam non habere vim vt est Iuris ciuilibus, sed vt est recepta Iure Canonico, seu approbata à Summis Pontificibus. vnde etiam relata est in Corpus Decreti à Gratiano cap. Si qua mulier. 19. qu. 3. de quo vide Nauarrum comment. 2. num. 44. & sequentibus. vbi hanc constitutionem explicat & expendit.

Secundò, Ex æquitate canonica legitimam filiis statim post professionem tradendam, nec esse expectandam mortem naturalem parentis, vt docet Nauarrus num. 48. & Couarr. cap. 2. de testam. num. 12. & colligitur ex cap. Cum simus. 14. de Regularibus. nimis enim durum esset, si filij deberent alimenta petere à Monasterio.

Contraria tamen sententia non est improbabilis, quam tenent plerique Doctores, teste Couarr. vltus fructus tamen, quem fortè pater habebat in bonis aduentitiis suorum liberorum, tranfit in Monasterium vltq; ad mortem eius naturalem, vt docet Nauarrus num. 55. quia omnia transeunt, & Ius nihil particulare de hoc disposuit. quamuis & in hoc contrarium probabiliter teneri possit; de quo videri potest Couarruias num. 14. Pari modo, pater in sæculo manens, vltimus fructum, quem in bonis aduentitiis filij habebat, non amittet per filij professionem, vt idem Nauarrus docet; nam professio filij non potest officere iuri paterno iam antè acquisito. secus est quando filius egreditur patriam potestatem ob crimen paternum; tunc enim amittit pater vltimus fructum vna cum patria potestate, vt rectè cum aliis docet Molina, de Iustitia, disput. 9.

Tertiò, Si is qui proficetur, non habet liberos vel nepotes, sed patrem vel matrem, auum vel auam, Iure communi illis debet legitimam: nimirum si hoc Ius eo loco sit receptum. Nec obstat, quòd Monasterium habeatur pro filio vel herede, vt colligitur cap. In præsentia. 8. de probationibus, & Nouella 123. cap. 37. ac proinde nihil videatur deberi ascendentibus; quia hoc non est verum, nisi ad effectus Iure expressos, qualis non est iste, qui proponitur in casu.

Quartò, Non solum bona tua libera per professionem transeunt in Monasterium, sed etiam quædam grauata; vt si tibi relicta sit fideicommissum, cum onere vt si absque liberis discesseris, restituatur alicui tertio, vt fratri si ingrediaris Monasterium, cedit Monasterio, quia est instar filij. Ita expressè habetur d. cap. In præsentia. & d. Nouella. Secus si grauatum sit vt in aliam causam conferatur; vt ibidem habetur.

Quintò, Etiam feudum cedit Monasterio, modo sit francum, id est, liberum ab obsequio, vel concessum feminae, vel cum onere obsequij, quod Monasterium præstare possit, vel concessum cum facultate præstandi per alium. Ita Nauarrus n. 25. & alij passim. Commoditas feudi durat solum ad vitam illius Religiosi: eo enim mortuo deuoluitur ad proximos heredes, quibus ex sua institutione debetur; vel si desint, ad dominum directum. Ita Clarus §. Feudum. q. 78. n. 2. ex Baldo, qui tamen Clarus n. 3. addit, sibi non placere sententiam communem, scilicet feudum transire in

Mona-

*83
Quando
filiis danda
legitima.*

*vltimus
fructus.*

*84
Fideicom-
missum.*

Feudum.

Monasterium: sed ratio eius solum probat de feudis quæ requirunt seruitium sæculare, Religiosis indecorum & prohibitum.

Emphyteusis.

Pari modo emphyteusis in Monasterium transit. si tamen dominus directus velit, tenebitur in alium transferre, qui non sit maior privilegio præditus, quàm prior emphyteuta. Ita Iulius Clarus §. Emphyteusis. qu. 22. dicitque esse communem sententiam. Ratio est, quia conditio domini directi deterior redditur, cum amittat spem laudemij, id est, trigessimam vel quadragessimam partem pretij, quam percipere solet quotiescumque venditur. vide supra cap. 24. n. 57.

Possessio.

Sextò, Non solum dominium, sed etiam possessio transit in Monasterium per professionem. Primò, Quia sicut persona transit in ius Monasterij; ita simul cum illa dominium, & possessio quam illa habebat. Secundò, Quia Monasterium succedit non sicut heres extraneus, qui ut comparat dominium, debet adire hereditatem, & ut possessionem capiat, debet apprehendere; sed sicut filius, seu ut heres qui in iure dicitur *heres suis*, qui non comparat nouum dominium, sed continuat dominium & possessionem eius cui succedit. Ita Innocentius & alij in cap. In præsentia, de probatio nibus.

85
Si dispositum in extraneos.

Dico Secundò, Si ante professionem per testamentum disposuit de bonis in heredes non necessarios, ut in fratres vel amicos, Monasterium iis fruatur vsque ad mortem ipsius naturalem, sicut ipse testator facturus erat si in sæculo mansisset. vnde si illi moriantur ante testatorem, euanescit dispositio, & bona pertineant absolute ad Monasterium, nisi alia mens testatoris fuerit. Ita Nauarrus supra num. 54. & Couar. c. 2. num. 11. vbi dicit esse communem sententiam.

86
Si Monasterium caret iure succedendi.

Dico Tertio, Si Monasterium non habet ius successionis, omnia bona Religiosi (nisi ipse ante professionem aliter de illis disposuerit) statim per professionem deuoluuntur ad heredes ab intestato, perinde ac si ipse morte naturali defunctus esset. est communis sententia DD. quia cum ipse per professionem se spoliaret omni dominio & possessione, nec transeat hæc in Monasterium; sequitur, ea iure deuolui ad alios heredes. non enim debent ea bona manere adspota & suspensa.

Petes, Vtrum possit fieri statutum, ut ij qui transeunt ad Religionem, nõ possint sua bona, vel legitimam sibi debitam secum ad eum transferre, vel in alios pauperes distribuere, sed teneantur illa suis propinquis relinquere, etiam si illi pauperes non sint? Quod ego propono, non quòd putem aliquem Catholicum & pium Principem tale statutum fecisse, aut facturum: sed quia intelligo talia subinde quibusdam locis à politicis ventilarì.

Respondeo breuiter, Tale statutum fieri non posse. Probatur Primò, Quia tali statuto directè oppugnaretur consilium Christi, tamquam iniquum, & noxium Reipub. Christus enim Matthæi 19. adolescenti diuiti animæ suæ salutem querenti dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni sequere me.* Illo autem statuto contrarium præcipitur; nimirum, non des pauperibus, sed relinque consanguineis, etiam si illi pauperes non sint. Atqui oppugnare consilium Christi, graue peccatum est, continens grauem in Christum ir-

reuerentiam cum tacita quadam blasphemia, quasi consilium Christi sit noxium: idque eò maius peccatum est, quòd sit maiori auctoritate, & patet latius. Nec refert quòd non sit graue peccatum, si quis nolit sequi consilia Christi, cum non sint præcepta, sed libera: quia longè aliud est, nolle sequi; aliud volentem sequi, vi impedire. Nemo tenetur ingredi Religionem, aut inire matrimonium: volentem tamen ingredi, vel inire matrimonium, impedire, graue peccatum est.

Secundò, Quique lege diuina & naturali ius habet, ut non solum se, sed etiam sua Deo offerat, & sibi amicos de mammona iniquitatis conciliet, qui cum, cum defecerit, in æterna tabernacula recipiant: ad quod etiam Dominus Matthæi 6. vehementer hortatur. Ergo impedire huius iuris executionem, est vera iniuria, idque in re grauissima. Quare cum omnis iniuria in re graui sit peccatum mortiferum (ut omnes Doctores fatentur) manifestum est, condere tale statutum quo illius iuris executio directè impeditur, esse peccatum mortiferum, idque eò maius, quòd latius patet, & ad plures se extendit. Non enim est iniuria priuata, sed publica, ad omnes personas, quibus Deus sua consilia inspirauerit, & ad omne tempus futurum se extendens. Neque dici potest, Neminem vi impediri: quia lex maximam vim infert, cum ei non possit resisti.

Tertio, Qui impedit ne quis Christum heredem faciat, meretur ipse exheres fieri non solum regni cælestis, sed etiam terreni, & bonorum temporalium, cum ipse omnia ista à Christo omnium Domino acceperit; ut eleganter ostendit Saluianus lib. 3. de Auaritia: vbi etiam in parentibus & priuatis hominibus acriter reprehendit illam in Deum ingratitude, dum liberos Religionem ingressuros priuant sua legitima, ne illam Christo consecrent. Atqui tali statuto ingressurus in Religionem vi impeditur ne Christum bonorum suorum heredem faciat. Pauperum enim causa, est causa Christi, præsertim eorum pauperum qui obsequio Christi peculiariter sunt consecrati: ut constat ex illa sententia Domini, quam in extremo iudicio in iustos & peccatores proferet; & ex illa clausula: *Quod uni ex his minimis fratribus meis Matth. 25. fecistis, mihi fecistis.*

Quartò, Tali statuto fit etiam iniuria Ordini Religioso; nec vni tantum, sed plurimis. Etsi enim forte Religio talis sit, ut nullum ius habeat ad bona sui Nouitij: tamen verum ius habet, ne quis vi vel fraude impediatur, qui ei aliquid relinquere voluerit. Vnde qui sic impediatur, tenetur in vtroque foro ad restitutionem Religioni: sicut cum quis vi vel fraude impedit ne testator relinquat mihi legatum; vel ne collator mihi conferat beneficium, tenetur ad reparationem istius damni: ut omnes Doctores tradunt. Itaque qui tale statutum conderet, teneretur ad sarcienda omnia damna, quæ inde Religionibus obuenerent.

Quintò, Tale statutum est contra Ius & libertatem Ecclesiæ & status Ecclesiastici, cuius Religio est pars eximia; ac proinde auctor talis statuti incurrit excommunicationem ipso facto contra violatores iuris Ecclesiæ pluribus Canonibus statutam, quos omnes renouat Concil. Trid. sess. 25. cap. 20. de Reform. Omitto plurima quæ hæc ex sanctis Patribus adferri possent. Videatur Basilii qu. 9. in Quæstionibus fusiùs disputatis: vbi

dicit, esse sacrilegium, talia bona detinere. & q. 187. in Regulis breuioribus. Hieron. epist. 8. quæ est ad Demetriadem, & epist. 26. ad Pammachium, Ambrosius lib. 1. Officiorum, Gregorius Homilia 37. in Evangelia, & alij.

Dices, Hæc rationes locum habuisse præcis temporibus, cum Religiones erant pauperes: non verò hoc tempore, cum Monasteria sunt opulentissima. alioquin decursu aliquot sæculorum, omnia bona secularium transirent ad Religiosos.

Respondeo, Non solum tunc, sed etiam modò locum habere, quia etiam nunc sunt multæ Religiosæ domus verè pauperes, quæ egrè suos sustentant, & semper debitis grauantur. Multæ etiam aliæ sunt pauperum causæ, in quibus consilium Christi possit impleri. Si cauendum ne domus Religiosæ supra modum ditescant: id non ita faciendum, vt tenues non possint assurgere ad iustam mediocritatem.

Sed inquit, Etiam tenues satis habent, si non admittant plures quam possint alere: cur admittunt tam multos? quid opus tot Monachis & Iesuistis? Respondeo, Non admitti ab Ordinibus Religiosis plures quam opus sit ad finem & ministeria proprii cuiusque instituti. Vt omittam parum dignum esse animo Christiano, velle præscribere Spiritui sancto, qui propositum Religionis inspirat, & restringi numerum seruorum Dei, & operatorum vineæ Domini, ob res istas infimas, & terrenas, ob modicum alimenti, quo opus habent vt uiuant, & Deo & Ecclesiæ seruiant. Addo, manentibus in sæculo, per ingressum fratris vel fororis in Religionem nihil detrahi, sed plerumque plurimum accedere, cum bona substantiæ pars ipsis relinquatur, ex qua ne teruntium quidem habuissent, si illi mansissent in sæculo.

Neque metuendum ne omnia penè secularium bona ad Religionem transeant. Satis enim huic periculo iam est prouisum; sat multi inuigilant, ne id aliquando fiat: hæresis, atheia vel politicismus facillè impediunt, quibus paucis annis plus Ecclesiæ & Religioni ademptum, quam multis sæculis accesserit. Denique non est modò idem affectus fidelium in huiusmodi causis, qui olim tempore nascentis fidei in singulis prouincis fuit.

DVBITATIO XI.

Cui acquirat Religiosus post professionem.

SUPpono, Religiosum vel habere beneficium aliquod post professionem; vt Prioratum, Abbatiam, Parochiam, Episcopatum; vel non habere.

87
Si non habet beneficium.

Nunc Dico Primò, Si non habet beneficium, acquirit suo Monasterio vel Ordini, siue id ei ex industria proueniat, siue ex eleemosynis, siue hereditaria successione, siue alio modo. Colligitur apertè ex Intribus supra citatis, & ex c. 16. Abbat. 18. q. 2. vbi dicitur, omnia quæ Monachus acquirit, ab eo auferenda, & hæc Monasterio profuerint.

Potest Monachus iure communi succedere ab intestato.

ra. Dixi siue hereditaria successione; quia nõ minùs post professionem succedit ex testamento & ab intestato, quàm si esset in sæculo; nec possunt eum parentes legitima priuare; vt patet L. Deo nobis. §. Hoc etia, de Episcopis & Clericis. ex qua L. et-

iam patet, nec ob ingratitudinis culpam in sæculo admittam priuari posse: & meritò, quia hæc insigni illa vitæ mutatione videtur absterfa. idem patet ex cap. Non liceat. 19. q. 3.

Dices, Quomodo potest succedere, cum sit incapax dominij, & omne ius in Monasterium sit translatum?

Respondeo, Non habet ius vt in suum commodum succedat aut sibi aliquid acquirat; hoc enim totum in Monasterium translatum est; retinet tamen ius succedendi in commodum Monasterij, vtrillè acquirat. Hinc fit vt Monasterium possit adire vel repudiare talem hereditatem etiam ignorante vel inuito Religioso. Imò si hereditas aliqua ante mortem Religiosi delata sit & nondum adita, potest Monasterium etiam post mortem illius eam adire, vt docet Couarruias cap. 1. de testamentis, num. 31. ratio est, quia ius ad eundem ante mortem ipsius, Monasterio erat acquisitum, quod proinde per mortem ipsius non amittit. Religiosus autem ipse sine consensu Superioris valde illam adire non potest.

Hinc Religiosus in acquirendo partim comparatur seruo, partim filiofamilias. Seruo, in eo cui acquiritur; quia sicut seruus non acquirit sibi sed domino, ita Religiosus acquirit non sibi sed Monasterio. Filiofamilias, in modo acquirendi; quia sicut hereditas vel legatum delatum filio, potest acceptari à patre, ignorante vel inuito filio; ita Religiosi delatum potest acceptari à Monasterio inuito Religioso. Hereditas tamen delata seruo non acquiritur domino, inuito seruo. vide Nauarrum comment. 2. num. 4. & 30. & Molinam disput. 140. vbi alios refert.

Circa prædicta Notandum Primò, In Ordinibus, qui non habent ius succedendi, etsi Religiosi alius modis possint acquirere Monasterio vel Ordini, non tamen successione ab intestato. nam per professionem omne tale ius amittitur, & quodammodò extinguitur; quamuis non omnino irrecuperabiliter. nam si cõtingat talem Religiosum transferri ad alium Ordinem, qui capax sit, reuiuifcet hoc ius in commodum illius Ordinis. & incipiet illi acquirere successione ab intestato. vnde non tam fuit extinctum quàm cõsopitum. Sed hoc intelligendum de hereditariis, quæ post transitum ad alium Ordinem deferuntur, non autem de iis, quæ antè obtigerunt; vt docet Couarruias cap. 1. de testamentis, num. 28. & tribus sequentibus. Idem dicendum si talis Religiosus fiat Episcopus, vt patet cap. Statutum. 18. q. 1. & docet Siluester Religio 4. quæst. 10.

Notandum Secundò, Quosdam docere, eos Regulares, qui Summi Pontificis priuilegio sunt exempti à potestate Prælati, & foris viuunt, acquirere non Ordini, à cuius obedientia sunt exempti, sed Pontifici; idque siue acquirant ex aliqua pensione ipsis à Pontifice concessa, siue ex eleemosynis, siue sua industria, siue successione hereditaria, quæ sententia est satis rationi cõsentanea. Nauarrus tamen; qui pro hac sententia citatur, comment. 4. de Regul. num. 68. id non docet, sed contrarium, nempe talia acquiri Monasterio. Sed spectanda est consuetudo recepta.

Notandum Tertio, Etiam si Monachus acquirat Monasterio, Monasterium tamen non teneri ex delicto Monachi, quamuis sit Prælati; nisi quatenus inde aliquid conuersum est in Monasterium.

Religiosus comparatur partim seruo, partim filiofamilias.

88
Ius succedendi quomodo reuiuifcet.

89
Regularis ab obedientia exemptus cui acquiritur.

90
An ex delicto & conuersu Monachi tenetur Monasterium.

rij commodam, cap. Delictum. 76. de regulis Iuris, in 6. vbi dicitur, *delictum persone in d. unum. Ecclesia non esse conuendendum*. Ex contractu etiam Monachi non tenentur, nisi quatenus tacite vel expresse ei commissa est aliqua administratio. Si vltimus suo vel Monasterij nomine contrahit, probabile est obligari naturaliter, ac teneri dare operam quantum in se est, vt Prælatus approbet. Est tamen in potestate Prælati, contractum ratificare vel irritare, prout commodius ipsi fuerit, vt docet Nauarrus comment. 2. nu. 42. Vnde is cum quo contraxit, non potest resilire, si Prælatus contractum approbet.

Contraria tamen sententia, scilicet ex tali contractu non nasci obligationem naturalem in Religioso, nisi damnum intulerit, est etiam valde probabilis, & plurimorum Doctorum, quos citat Nauarrus. Iuxta quam dici potest, eum cum quo contraxit, non teneri, & posse resilire, nisi post approbationem Prælati ipse quoque ratificet, vide supra cap. 17. dub. 8.

Dico Secundò, Si Religiosus habet beneficium extra suum Monasterium vel Ordinem, acquirit non Monasterio, sed beneficio. Est communis sententia DD. colligitur cap. 1. Statutum. 18. q. 1. vbi dicitur, *Religiosum prouectum ad Episcopatum acquirere non Monasterio, sed Episcopatum*. Idè dicendū si ad Abbatiam extra suum Monasterium, vel ad Prioratum aut Parœciam, etiam illi Monasterio subiectam; vt docet Nauarrus comment. 2. n. 6. Vnde Prælatus non potest illi pensionem de nouo imponere, vel fructus in vilitatem Monasterij conuertere, quia ad beneficium pertinent; vt idem docet. Nec obstat quòd tale beneficium sit manuale, id quod nutu Superioris dari & auferri possit; quia quamdū obinetur, ipsi acquiritur, non Monasterio. si tamen iure vel consuetudine aliqua pensio annua Monasterio soluenti tali beneficio sit imposta, hanc exigere potest.

Petes, Vtrum omnia, quæ promotus ad beneficium extra suum Monasterium vel Ordinem quouis modo acquirit, cedant beneficio.

Respondeo, Si sit Episcopatus, omnia cedunt beneficio; etiam ea quæ successione vel donatione obtinet. Insinuatur d. cap. Statutum: & merito, quia ab Ordine suo est exemptus. Idem dicendum si est Abbas vel Prior in alieno Monasterio; quia tunc est exemptus à suo. De ceteris est distinguendum; si enim habet Parœciam, vel Canonicatum, vel aliud beneficium, quod habeat corpus bonorum seorsim ab alijs, tunc omnia cedent beneficio. Si autem beneficium non habeat corpus distinctum; tunc ea quæ proueniunt ex beneficio, cedent beneficio; quæ verò aliunde, Monasterio. Ita Nauarrus comment. 4. de Regul. num. 69. hoc modo concilians opinionem Bartoli in L. Seruus communis. 7. de stipulat. seruorum, (vbi dicit Bartolus, Regularem beneficiarium ea quæ ex beneficio accepit, acquirere ipsi beneficio; ea quæ aliunde, Monasterio) cum opinione communi Canonistarum, qui dicunt omnia acquiri beneficio, nihil Monasterio.

93 Regularis beneficiarius an possit disponere de fructibus.

Ex prædictis infert Nauarrus comment. 2. de Regul. n. 10. & 11. & tract. de rebus Eccles. q. 3. monito 25. Regularem beneficiarium posse disponere de fructibus beneficii ad honestam sustentationem sui, & ad pias causas, perinde ac sæcularis potest de fructibus beneficii sui; & addit

id firmè tenendum. Primò, Quia est sententia Card. Zabar. à toto orbe vlt recepta, & à nemine in theoria reiecta. Secundò, Quia apertè innuatur Clement. 2. §. Sed & tales, de vita & honestate Clericorum: vbi ponitur differentia inter Regularem simplicem & beneficiarium, quòd hic abique facultate Superioris possit immediatè in opera pia impendere, ille non possit. Tertio, Quia omnis titulus canonicus beneficii tribuit facultatem disponendi redditus in sui congruam sustentationem & opera pia. qui enim est administrator beneficii, est etiam administrator fructuum. Quarto, Quia Prælatus non potest illos fructus aut eorum partem mensæ suæ applicare, nec imponere novas pensiones aut antiquas augere, vt expresse habetur Clement. 1. de suppl. neg. Prælatorum. quòd intelligendum de omnibus Prioratibus, administrationibus, alijsque beneficijs, quæ mensæ Abbatis non sunt vnitæ, & à proprijs Rectoribus administrari solent, etiam illi ad nutum Abbatis reuocari possint, vt ibidem dicitur; vt tacite insinuatur & supponitur, fructus horum administrandos esse ad ipsos beneficiarios.

Hæc sententia est certa, si loquamur de Regularibus, qui præsentur, & non subsunt Prælati Regulari à quo in alijs regantur; vel de ijs, quibus à Summo Pontifice collatio est facta. Verum non est ita certa de alijs, qui ad nutum Prælati possunt amoueri. etiam enim Prælatus non possit imponere beneficio pensionem; tamen postquam ex beneficio inferior fructus aliquos perceperit, quos in commodum suæ Ecclesiæ non erat impensurus, non videtur à ratione alienum vt Prælatus de illis possit statuere, vel præscribere modum expendendi. vnde Franciscus Sarmiento defensionis suæ parte prima, monito 11. contrarium tener. Sed Nauarri sententia videtur verior, nisi priuilegio vel consuetudine memoriam hominum superante contrarium alicubi sit receptum. Idem docet Nauarrus cum limitatione & distinctione supradicta de omnibus alijs, quæ Religiosus beneficiarius aliunde acquirit. vide consil. 70. de Regul. Vbi tamen Religiosus amotus fuerit, non habet amplius administrationem. vnde si quid pecunia secum attulerit ad Monasterium, subest dispositioni Prælati.

DVBITATIO XII.

Quorum beneficiorum Ecclesiasticorum sint capaces.

Dico Primò, Regularis est capax beneficiorum regularium sui Ordinis; vt sunt Abbatia, Prioratus conuentalis, Prioratus claustralis, Præpositura, Parœcia Monasterio annexa. nam vt Clement. 1. de suppl. negl. Prælat. dicitur, *Beneficia regularia Regularibus conferenda sunt*. Imò sæculari clerico beneficium, quod per se regulare est, conferri non potest; quia iure incapax: nisi auctoritate Summi Pontificis; qui etiam idcirco non confert ea nisi in Commendam; quo modo videmus passim conferre Abbatias & Prioratus. quod autem sola annexione regulare est, vt sunt quedam Parœcia; potest conferri sæculari, si regularis non reperitur idoneus.

95 Est capax beneficii regularis.

96 Dico Secundò, Est enim Iure communi capax quorundam beneficiorum secularium.

Primò, Episcopatus, vt apertè habetur cap. Nullus Religiosus. 28. de electione, in 6. vbi etiam Pontifex, vt Religiosus sit capax Abbatie, requiratur vt sit expressè professus; addit tamen, id non esse necessarium vt possit eligi ad Episcopatum.

Vbi notandum est verbum *eligi*, quo significatur, Iure communi esse idoneum. Si enim aliquid obstarè, non possit eligi, sed solum postulari; cap. finali, de postulatione Prælatorum: de quo vide Siluestrum Religio 7. quæst. 6. Idem patet ex cap. Quorundam. 24. de electione, in Sexto, vbi etiam statuitur, vt nemo ex Ordine mendicantium aliquid iuris sibi acquirat ex electione, postulatione, prouisione, ad aliquam extra suum Ordinem Prælaturam, in discordia.

97 Aduertendum tamen, non posse Religiosum, qui sub potestate Prælati est, consentire in electionem vel promotionem sui ad Episcopatum, vel ad aliud beneficium extra suum Monasterium, nisi petita & obtenta licentia sui Prælati; alioquin consensus est inualidus; & in penam illius præsumptionis, electio ipso facto est irrita; vt habetur cap. Si Religiosus. 27. de electione, in Sexto. Possit tamen Prælatus cogi per Superiorem ad concedendam facultatem, si necessitas vel utilitas Ecclesie postulet, vt docet Glossa in illud cap. v. Obtenta, referens Tancredum & Bernardum; & Siluester supra q. 3. & 4. Vel potius eo casu recurrendum esset ad Summum Pontificem, vt ipsemet, qui est Superior omnium Prælatorum Regularium, facultatem concedat. Porro vt Prælatus consensum validum ad hoc præbeat, non opus est consilio aut consensu Conuentus, quamuis id vnum sit ex grauioribus Monasterij causis: ita enim expressè statutum est dicto cap. Si Religiosus. 9. Quia verò; idque vt ordinationes Ecclesiarum ac Monasteriorum, in quibus tales electi existerint, celerius & facilius valeant expediri, vt idem Pontifex ait.

98 Secundò, Est capax curæ animarum, patet ex cap. Doctos. 21. & multis sequentibus. 16. quæst. 1. ex quibus constat, à temporibus Ambrosij consueuisse Monachos ad curam animarum assumi. quòd si Monachi, qui ex Instituto vacant tantum contemplationi, possunt ad talia beneficia promoueri, etiam possunt Mendicantes, & alij Regulares; quorum functiones isti officio sunt magis affines. Idem tenet Siluester Religio 7. quæst. 4. ex Panormitano. quod intellige, nisi aliquod particulare statutum Ordinis obstat.

Vbi notandum, Si hoc beneficium pleno Iure subdit Monasterio, non requiri auctoritatem Episcopi vt Religiosus promoueatur; sed sufficere voluntatem Prælati Regularis, qui etiam quando placuerit, potest illum amouere, & alium substituere. possit tamen inferior excipere, si probare possit malo animo fieri, vt tradit Nauarrus lib. 3. consil. tit. de Regul. consil. 20. num. 15. Episcopi tamen est illum examinare & visitare, vt patet ex Concilio Trident. sess. 7. cap. 7. & 8. & sess. 24. c. 3. & 18. de reformat. nisi fortè Prælatus Regularis ibi iurisdictionem quasi Episcopalem exerceat; nam iis locis ipse est examinare ad beneficium parochiale, & approbare confessarios: quod & vsus ipse confirmat, cui Episcopi non contradicunt; & ratio quoque probat; nam

Si Prælatus habent iurisdictionem Episcopalem.

talis actus est iurisdictionis, non Ordinis: quare cum ille Prælatus iurisdictionem habeat Episcopalem in suis locis seu terminis, ita vt subditi ipsius non agnoscant vllum superiorem illo in spiritalibus præter Summum Pontificem, non est cur illi potestas ad talem actum denegetur. qua de re vide nostrum Suarem tom. 2. de Sacramentis, disput. 28. sect. 5. Si autem beneficium non subdit Monasterio, præter consensum Prælati requiritur & auctoritas Episcopi vt promoueatur; nec potest à Prælato puniri aut deponi, quia exemptus est à eius iurisdictione, & subiectus Episcopo. Colligit Doctores ex cap. 31. In parocia. 16. q. 1. vide Siluestrum Religio 7. quæst. 11. Quo casu veluti reiectus est à Monasterio, nec amplius eius commodis frui potest, nec habet vocem actiuam nec passiuam in Capitulo, vt docet Panorm. in cap. 2. num. 3. de statu Monachorum. translati enim est à Monasterio ad beneficium secularare. Vnde sequitur, ipsum etiam non habere ius reuertendi ad Monasterium & pristinum locum occupandi, etiam si deposito onere reuerti velit. sicut enim per translationem illam factum est, vt Prælatus & Conuentus nihil in ipsum iuris habeant, nec possint illum reuocare: ita etiam ipse ius redeundi amisit; vt vtriusque sit paritas: vt apertè colligitur ex Can. Ne pro cuiuslibet. 16. q. 1. vbi Gregorius I. statuit, vt si quis Monachorum ex aliquo Monasterio ad clericatus officium vel sacrum Ordinem accesserit, non ibi aliquam vltèrius habeat potestatem. Idem expressè tenet Nauar. comment. 3. de Regular. nu. 46. sub finem. & alij passim. Sanè graue onus esset Monasterio, si iam senes, fractos, inuites officijs monasticis, & moribus sæpè parum religiosis, aut noxijs, teneretur recipere.

Sed quid dicendum, si beneficium ita sit annexum Monasterio, vt debeat à Religioso administrari; Abbas tamen non possit conferre, sed solum præsentare vnum ex suis Religiosis, & institutio fieri debeat ab Episcopo: Videtur enim tunc Religiosus ille beneficiarius exceptus ab obedientia Abbatis, nec posse ab illo reuocari. Resp. Ita sanè videri; quia non est pleno iure subiectum Monasterio, sed solum quoad Ius patronatus actiuum & passiuum, vt ita loquar. id est, vt Monasterium præsentet & præsentetur. Vnde cum Prælatus regularis non possit conferre, sed solum præsentare, non videtur posse auferre. & ita tenet Nauarrus in cap. Non dicatis. num. 7. Hoc tamen limitauerim dupliciter. Primò, nisi aliter in ipsa annexione vel institutione fuerit constitutum; nempe vt Religiosus ille non sit omnino ab obedientia sui Prælati exemptus, & ex causa reuocari ad Monasterium possit. alioquin huiusmodi annexiones essent valdè damnosæ Monasterijs, & daretur Religiosis illis beneficiarijs occasio dissolutionis vitæ: Secundò, nisi Prælatus ius illud iam legitime præscripserit seu vsuceperit. sufficit autem ad hoc possessio 40. annorum, si nimirum Abbas tanto tempore putauerit bona fide se hoc ius habere, gerendo se tamquam Superiorem erga illum Religiosum; & ille Religiosus se erga Abbatem tamquam suum Superiorem gesserit, habueritq; recursum ad Monasterium tamquam filium Monasterij: vel si Abbas interea aliquoties vsus fuerit auctoritate reuocandi, & nemo se opposuerit.

Tertiò,

99
3. Dignitas.

Tertio, Est capax dignitatis in Ecclesia seculari, vt Praepositurae, & Decanatus, si proprie habent curam animarum secularium; quia ratione huius curae, ad quam Religiosi in primis videntur idonei, Iure illis concessum est vt possint beneficia habere.

Canonica-
100.

Si verò non habent curam animarum nisi respectu Capituli, dubium est. Tamen probabile est esse capacem, quia nusquam prohibetur. Ita Silvester, Religio 7. qu. 4. & 6. ex Panormitano, & merito, quia hic etiam ratio curae & doctrinae (ob qua concessum est illis à Iure beneficia obtinere) locum habet. Ad hoc tamen & alia secularia beneficia non est Regularis promouendus, nisi necessitas vel magna vilitas Ecclesiae postulet, ne & Monasteria praecipuis viris spoliarentur, & ambitioni porta aperiretur.

Ad Canonicatum & alia beneficia secularia Iure communi non sunt habiles. Ita communiter DD. & Panor. in cap. Super eo. 9. de Regulari. & in cap. Quod Dei timorem, de statu Monach. Ratio est, quia in beneficiis simplicibus cessat ratio curae & doctrinae, ob quam promotio Regularis ad Ecclesiam seculariam est concessa, vt notat Panor. in d. cap. Quod Dei timorem. 5. Vnde nec Episcopus in eo dispensare potest. Accedit, quòd hac ratione daretur occasio omni & mollioris vitae, contra professionem regularem.

DUBITATIO XIII.

Vtrum Regularis ex suo Ordine possit ad alium transire, & qua ratione.

D. Thom. quest. 189. art. 2.

100
Possunt
transire ad
arctiorem.

Dico Primò, Omnibus Regularibus Iure concessum est, vt possint ad Religionem arctiorem transire; cap. Licet. 18. de Regularibus. hoc tamen non est laudabile, nisi ob notabilem necessitatem vel vtilitatem. Primò, Quia monet Apost. 1. Cor. 7. vt quisque in vocatione in qua vocatus est, permancat, quod maximè locum habet in statu perfectionis. Secundo, Quia ex hoc transitu plerumque scandalizantur illi qui relinquuntur. Tertio, Quia facilius quisque proficit in Religione in qua conlueuit, quam in alia, cuius consuetudines illi sunt peregrinae & insolentes, vt notat D. Thomas 2. 2. qu. 189. art. 8. Quod confirmatur sententiâ Abbatis Nesteronis apud Calfianum collat. 14. cap. 5. Cuique vtile est, ait ille, vt secundum propositum, quod elegit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & nequaquam a sua, quam semel elegit, professione discedat.

Andebeat
esse absolu-
te perfe-
ctior.

Dico arctiorem, non perfectiorem, quia in hoc transitu non quaeritur vtra sit absolute perfectior; (etiam si D. Thomas supra, Silvester & alij quidam Doctores contrarium non improbabilius tenere videantur) sed vtra arctioris obseruantiae, in qua tutius & melius possit salutem suam operari, vt colligitur ex dicto cap. Licet. & tenent communiter Canonistae. Hinc permittitur omnibus Religiosis, etiam Mendicantibus, transitus ad Ordinem Carthusianorum, vt habetur Extrauagante Martini IV. qua incipit, Viam ambrosiana, in communibus; quamuis absolute hic Ordo non

Omnis
possunt
transire ad
Ordinem
Carthusia-
num.

sit omnium perfectissimus. Non est tamen necessè vt illa Religio in omnibus sit arctior; nam Religio Minimorum in victu est arctior quam Carthusianorum, quia non vitur ouis nec lacticiinis; & tamen possunt huius cultores, cum numerentur inter Mendicantes, transire ad Carthusianos. Idem dicendum de Cappucinis. Religio tamen Carthusianorum est arctior in silentio, & solitudine, & Officij diuini prolixitate.

Simili modo permittitur Canonicis regularibus vt transeant ad Religionem Monachorum, vbi disciplina bene seruat, cap. Sanè. 10. de Regulari. quia Monachorum Religio est strictior, vt habetur cap. Quod Dei timorem, de statu Monachorum. Nec obstat cap. Mandamus. 2. & cap. 1. Nullus. 19. quæst. 3. vbi id videtur prohiberi: quia solum prohibetur ne transire ille fiat cum detrimento Ecclesiae, vel ex ira, odio, leuitate animi, aliave perturbatione, vt ibidem notat Glossa. Ex Ordine etiam Cluniacensium possunt transire ad Cistercienses, cap. Licet; de Regulari. Denique sicut Mendicantes possunt transire ad Carthusianos, ita vicissim Carthusiani ad Mendicantes; vt docet Nauarrus tit. de Regulari. consil. 68. Silvester Religio. 4. quæst. 6. Paludanus in 4. dist. 38. quæst. 3. art. 1. vbi probat, ex omni alia Religione Iure communi posse transiri ad Ordinem Praedicatorum. Idem docet D. Antoninus 3. p. tit. 16. cap. 4. §. 4. citans Ioannem Dom. & Monaldam, qui dicit se vidisse Parisiis determinationem factam per Doctores Vniuersitatis illius, fratrem Carthusianum posse Iure communi transire ad Ordinem Praedicatorum regulariter viuentem. Idem docet D. Bonauentura Opusc. Determinatio qq. circa Regulam S. Francisci, c. 12. vbi dicit, ex quolibet Ordine posse Iure communi Religiosum transire ad Ordinem S. Francisci. Hæc sententia est probabilis, & maximè procedit iuxta opinionem S. Thomae & aliorum Theologorum, qui putant in transitu isto non tam spectandam austeritatem & solitudinem, quam perfectionem Religionis & fructum: atque Religio Mendicantium est perfectior, vt probat Palud. & Anton. supra, quia est Religio Christi & Apostolorum; nobilissimam & Deo gratissimam functionem, nimirum procuracionem salutis animarum, miscens contemplationi. Hæc intellige de Religione vbi disciplina viget, & transitus sine lite alioue graui incommode fieri potest.

Canonici
regulares
ad Ordinem
Monacho-
rum.

Carthu-
siani ad
Mendican-
tes.

Hic tamen aliqua sunt notanda, Primò, Vt hic transitus fiat matura deliberatione, & studio melioris vitae. Secundo, Vt petatur licentia à Prælato; (ne obedientia contemni videatur) qui tenetur eam dare, si non det, hoc ipso Ius concedit, vt habetur dicto cap. Licet. Si non petita facultate transeat, potest reduci ad prius Monasterium, vt faciat quod Iure debet, iuxta Nauarrum de Regularibus, consilio 59. Si tamen non leuitate animi, sed matura deliberatione transiit, non est reducendus, vt alij tradunt, & colligitur cap. Sanè, de Regularibus. Tertio, Vt Monasterium ad quod transiit, non solum Institutum, sed etiam vsu & obseruatione sit arctius. Idem enim sit commutatio, vt ibi sanctius & tutius viuatur. Quarto, Debet explere annum probationis, vt docet Nauarr. lib. 3. consil. de Regulari. consil. 3. quia Concilium Tridenti generatim hunc annum requirit, quo expleto debet profiteri, & iuxta ordinem huius

101
Conditio-
nes requisi-
tae in tras-
itu.

huius professionis obtinebit locum in Capitulo. ut idem docet consil. 60. quod intellige, si transit ad Ordinem distinctum, vel ad Monasterium sui Ordinis in quo arctior disciplina. Si transeat ut sit Prælati, sufficit professio tacita, nec requiritur annus probationis: imò non videtur requiri professio noua, quia substantialia sunt eadem: & ad cetera satis censetur obligari ea lege & consuetudine, qua Prælati Regulares tenentur se communi regulæ & statutis loci conformare. Ita tenet Fredericus apud Nauarrum consil. 3.

102 *Ad laxiorem.*
Dico Secundo, Possunt etiam Regulares, si iusta causa subsit, cum facultate Prælati transire ad Ordinem laxiorem. Ita docet Panormitanus in cap. Non est. 7. & cap. Significatum. 11. de Regular. Innocent. ibidem, Hostiensis in Summa, Siluester Religio 4. quæst. 2. Nauarr. comment. 4. num. 11. vbi prædictos citat. Idem tenet Glossa in d. cap. Non est, de Regular. & vsus ipse confirmat.

*Causa in-
sta.*
Dico, si iusta causa subsit, quia sine causa nec Pontifex concedere potest; nam interuenit quedam votorum relaxatio, quæ sine causa validè fieri nequit. Cum autem transitur ad strictiorem, vel illa est absolutè perfectior, & sic solum fit commutatio in melius, in qua non est opus relaxatione; vel solum est arctior, & sic etiam fit alia qua votorum relaxatio, quia liberatur ab obligatione operum perfectiorum, eaque commutatur in obligationem operum penitentiarum, quæ minus sunt perfecta, quamuis illi ob fragilitatem magis salutaria. Causa iusta sunt; Primo, Si collapsa disciplina in strictiore. Secundo, Si odia & similitates in ea vigeant. Tertiò, Si ipsæ aliis exofus. Quarto, Si ob corporis debilitatem non possit ferre rigorem.

*Si absque
facultate.*
Dico, cum facultate Prælati, quia quando transitur ad Religionem laxiorem, non sufficit petiisse facultatem, sed oportet obtinuisse: nam Ius non aliter hoc concedit, non tamen si absque facultate dimisso habitu transeat, censetur apostata, ut quidam volunt: quia non deserit absolutè statum religiosum, sed commutat.

*Non incur-
rit excom-
municat.*
Vtrum verò incurrat excommunicationem, dubitari potest. Quidam affirmant, ob cap. 2. Ne Clerici vel Monachi, in 6. ita Nauarrus cap. 27. Enchirid. num. 131. in fine, citans Siluestrum & Caiet. Sed contrarium verius ob similem rationem: quia non tam dimittit, quam commutat habitum Religionis, præsertim quando immediate assumit alium, neque id facit causâ euagandi, quæ fuit ratio tam seuerè id prohibendi. vnde cum lex penalis strictè sit interpretanda, non videtur extendenda ad hunc casum. Sicut tenent Angelus v. Religiosus, numero 37. Dominicus, & Ioannes Andreas in cap. 2. Ne Clerici vel Monachi, in 6. Panormitanus in cap. Sanè, de Regularibus, & colligitur cap. Ex parte. 10. de tempor. ordin.

*103
Quis dat
hanc fa-
cultatem.*
Petes, Quis potest dare hanc potestatem? Respondeo, Si Monasterium est subiectum Episcopo, hic dare potest. Si est exemptum, Prælati, qui iurisdictionem quasi Episcopalem in suos habet, dare potest; cum consensu tamen Capituli. Ita Siluester Religio 4. quæst. 2. & Glossa in cap. Non est, dubium. de Regular. Consensus Capituli requiritur, quia hæc res est vna de maioribus negotiis Monasterij, in quibus iuxta

regulam & Canones requiritur Capituli consensus.

Dices, Concil. Tridentinum sess. 25. cap. 19. *Obiectio.* decernit, ut nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.

Resp.
Respondet Nauarrus libro 3. consil. 56. de Regular. mentem Concilij esse solum prohibere ne id fiat absque iusta causa, & sine consensu Conuentus, aut non præmissa causæ cognitione, ut olim interdum fiebat, quibusdam Prælati id suo arbitratu concedentibus.

104
Notandum tamen est, Mendicantes Iure communi, etiam cum facultate sui Generalis non posse transire ad non Mendicantes (præterquam ad Carthusianos) absque facultate Pontificis: si contra fecerint, tam recipientes quam recepti sunt ipso facto excommunicati, & professio est irrita; ut patet Extrauag. 1. de Regular. quæ incipit, Viam ambitiosam, in communibus hæc tamen non videtur recepta; nam Nauarrus consilio 56. de Regularibus absolutè docet, Generalem Ordinis S. Augustini posse facere potestatem transeundi ad Religionem laxiorem, ex iusta causa; idque probat Iure communi, nec meminit huius Extrauagantis, vel certè illa Extrauagans agit de iis qui iustam causam non habent: quod insinuatur illis verbis, *ficatis coloribus, & ut liberius degant, & beneficia monastica consequi valeant.*

Dixi Iure communi, quia interdum Generales ex priuilegio possunt dare hæc licentiam.

*105
Mendican-
tes trans-
euntes, in-
habiles ad
officia, &c.*
Circa Mendicantes illud quoque aduertendum; si aliquis ex Mendicantibus transeat ad Carthusianos, vel ad alium Ordinem non mendicantem, etiam cum facultate Pontificis, redditur inhabilis ad omnes dignitates & beneficia intra vel extra Ordinem obtinenda, ad curam animarum, & ad omnia officia, etiam nomine vicario, seu ut locum tenens; & caret loco, & voce actiua ac passiua in Capitulo, ut patet Clementina 1. Ut Professores, de Regularibus, vbi sub nomine officij DD. intelligunt etiam officium prædicatoris, quidam & lectoris Theologia; hæc enim omnia dicuntur in Religione officia. Adde, generationim omnes Religiosos translatos ad aliam Religionem, etiam arctiorem, esse incapaces beneficiorum secularium, etiam si curata sint; & debere perpetuò manere in claustris sub obedientia Superioris. Ita statuit Concilium Trident. sess. 14. cap. 11. Notandum tamen, Ordini Carthusiensium à Julio II. concessum priuilegium, ut non obstante hac Clementina, possint illi qui ex alijs Ordinibus etiam Mendicantibus ad eos transierint, fieri Superiores; & habere vocem actiuam & passiuam in Capitulo etiam Generali, sicut alij eiusdem Ordinis.

DUBITATIO XIV.

*106
Potest ex-
pelli.*
Vtrum Religiosus ob aliquas causas possit eici vel dimitti à Religione, & ob quas.

106
Dico Primo, Cerum est, Religiosum ob aliquas causas posse expelli à Religione. Est contra Cardinalem Zabarel, qui, ut tradit Nauarrus, commentario 2. num. 33. docuit, ob nullum

lum crimen expelli posse, sed carceribus includendum.

Probatum Primò, Ex praxi omnium Religionum. Secundò, Quia Regula S. Augustini, c. 20. & B. Benedicti cap. 28. expressè tradunt posse eiici, si nolit emendari. Tertio, Regula S. Benedicti cap. 29. habet, Monachum tertio fugientem, non esse amplius admitendum, quod perinde est, ac si reuersum expellas. Quarto, idem præsupponitur in cap. vlt. de Regular. vbi Glossa & Panormitanus id expressè tradunt. Idem habetur cap. Cum ad Monasterium 6. de statu Monachorum. Ratio est, quia melius est vt pereat vnus, quam vnitas, vt inquit S. Bernardus. & cap. Releccanda. 24. quest. 5. ex Hieron. dicitur: *Releccanda sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat.* Vnde in Repub. sunt exilia, & in Ecclesia excommunicatio. Itaque hoc ius ex naturali iure descendit. Carcere autem omnes tales concludere, nimis graue onus Religioni, & sæpè propter amicos fieri non potest, multaque alia incommoda fecum trahit.

Causæ ex-
pulsionis.

Causæ autem sunt, Primò, Nolle corrigi seu emendari. hæc sola iure communi expressa. Secundò, Commisisse aliquod crimen, propter quod in illa Religione constituta est eiectio, vel ratione cuius timeretur infamia Ordini: sicut enim Ordo non tenetur retinere subditum cum damno disciplinæ, quando est incorrigibilis; ita neque cum damno famæ, si suis sceleribus factus sit infamis. Tertio, Tacuisse aliquod impedimentum, quod in illa Religione censetur essenziale, vel valde graue. Ratio est, quia dolus dedit causam admisioni; ac proinde Monasterium non tenetur eum retinere. Nec refert quòd hæc dicitur causæ non sint iure expressæ, quia sufficit illas approbatas esse à iuris auctore Sede Apostolica, & cognitæ chilibet ante professionem. accedit quòd sint consentaneæ iuri Gentium & naturali.

107
An peccet
contra ius-
sittiam.

Petes, Vtrum si Religio aliquem dimittat absque iusta causa, peccet contra iustitiam.

Respondeo, Si ille est professus, & recusat dimitti, fit ei iniuria, & Religio iustitiæ lege tenetur eum recipere. Ratio est, quia professio est contractus reciprocus, vt supra ostensum est, per quem sicut Religiosus obstrictus est Ordini ad manendum & perseuerandum, ita Ordo vicissim obligatur ad illum retinendum, & tractandum tanquam filium, nisi contingat illum Ordini esse noxium.

Si verò nondum est professus, factus tamen est Religiosus per tria vota substantialia, fieri potest vt absque vlla iniuria dimitti queat, etiam si alia causa non sublit, quam quòd temporis decursuprehenditur illi Ordini minus conueniens. Ratio est, quia statui potest vt vota illa, quibus efficitur Religiosus, habeant tacite vel expressè hanc conditionem, Si Religio me retinere voluerit: quo posito, etsi ipse obstringatur Ordini, & in ius eius transeat, Ordo tamen non obstringitur illi ex vi acceptationis voti, & contractus, qui in admissione initur. Vnde quantum est ex vi huius contractus, potest ille absque iniuria dimitti; quamuis ipse ex parte sua obligatus sit ad perseuerandum.

Quòd autem hoc absque vlla iniuria statui possit, Probatum Primò, Quia qui admittuntur, sciunt & acceptant, tale statutum ab initio: ac scienti & volenti non fit iniuria, vt habet Reg. Iuris 27. in Sexto. Secundò, In multis euentibus lute fieri potest vt non sit vltro citroque obligatio in contractu, sed solum ex altera parte, quando causa subest.

Multiplicatus in quibus non est vltro citroque obligatio.

Primò, In contractu sponsalium impuberis cum pubere; nam puber resilire non potest; impuberi verò, vbi ad pubertatem venerit, licitum est à contractu recedere, vt communiter tradunt Doctores, & habetur cap. 7. De illis. 1. de desponsatione impuberum.

Secundò, In contractu pupilli sine auctoritate tutoris, & in contractu minoris inito cum maiore sine auctoritate curatoris. hi enim possunt maiorem sibi efficaciter obligare, etsi ipsi non possint obligari illi, vt expressè habetur Institut. de auctoritate tutorum, initio; & §. Pupillus, de inutilibus stipulat. & L. Non eò minus, C. de procuratoribus; de quo dictum supra cap. 17. dubit. 8.

Tertio, In contractu secularis cum Religioso, teste Nauarro, comment. 2. de Regul. num. 30. & 65. vt ibidem dictum est, & hoc cap. num. 90.

Quarto, In contractu ludentis credito, cum eo qui præsentem pecuniam: hic enim in regno Castellæ post constitutionem Caroli V. si amittat, non potest repetere solutum: ille verò non tenetur soluere, ne quidem in foro conscientiarum, vt tradit Couarruuias ad regulam Peccatum, par. 2. §. 4. num. 8. & Alphonsus Castro libro 2. de potestate legis pœnal. cap. 2. coroll. 2. de quo supra cap. 26. dub. 2.

Quinto, In professione tacite facta intra annum probationis, per susceptionem habitus professorum in Ordine non mendicantium, ante Concilium Trident. qui enim ita professus erat, non erat obstrictus illi Religioni: Religio tamen ipsi obstricta erat, ita vt teneretur illum retinere, si ipse manere vellet, vt tradunt DD. in cap. Constitutionem, de Regul. in Sexto.

Sextò, Multis est concessum priuilegium restitutionis in integrum, cum quibus si contrahas, non est par conditio; nam tibi hoc priuilegium non competit, de quo dictum est cap. 17. dubit. 9.

Quòd si in fauorem minoris ætatis, & eorum qui in aliena sunt potestate, & ob similes causas minoris momenti, iure statui potest hæc inæqualitas, & alteri parti potestas recedendi à conuentione concedi, altera manente obstricta: cur eadem statui non poterit in admissione ad Religionem ob causas maximi momenti; nempe, vt Religio magnis & difficillimis muneribus addita in Ecclesia, non grauentur personis inuilibus, vel parum idoneis, quique aliis possunt esse impedimento vel scandalo? Sanè longè minus incommodi est tales dimitti, & eorum loco idoneos & selectos suffici, quam Religionem huiusmodi hominibus grauari, cum magno precipuarum functionum detrimento. Accedit quòd hac ratione singuli facilius contineantur in officio, & melius ad suum institutum se applicent, dum vident se posse dimitti, si secus fecerint. Denique experientia satis probat quam salutare sit hoc statutum, adeo vt dubitari non possit, quin sit non

non solum iustum, sed etiam diuinitus inspiratum: quod etiam satis constat per S. Sedis Apostolicæ & Concilij Tridentini luculentam approbationem.

Dixi posse dimitti quantum est ex vi admissionis, & illius contractus; quia si Constitutiones spectentur, non possunt dimitti nisi ob graues causas ibidem expressas. Itaque et si Religio non obligetur ex vi admissionis, obligatur tamen ex vi Constitutionum.

108 Dices, Si possunt dimitti: ergo non sunt verè Religiosi; quia non habent statum firmum & immobilem. Deinde iniquum videtur, vt postquam renuntiauerint bonis absque vlla spe recuperandi, eiciantur extra Religionem, & cogantur sibi querere victum.

Respondeo ad Primum, negando consecutionem. Ad essentiam enim Religionis aut alterius status propriè dicti non requiritur tanta firmitas vt per Superiorem non possit solui; sed sufficit vt tempus non possit soluere, vt patet in statu seruorum, qui tamen à domino possunt manumitti; & in statu Religiosorum professorum, qui auctoritate Summi Pontificis liberari possunt. Itaque cum illi seipso nullo modo possint vinculis votorum eximere, habent eam firmitatem, quæ sufficiat ad statum perpetuum & immobilem. Fateor tamen non habere omnem firmitatem, quam habent professi; sed hæc non est ad essentiam Religionis necessaria, vt supra dubit. 1. ostensum est. Vide Nauarrum comment. 1. num. 19.

Ad Secundum: Ratione Constitutionum non possunt dimitti sine graui causa: vnde non plus est incommodi, quam in dimissione professorum; & ratissimè contingit vt quis post renuntiationem dimittatur. ob hanc etiam causam interdum permittitur vt renuntiatio ad aliquod tempus differatur.

D V B I T A T I O X V.

Quid inter sit inter eiectum, fugitiuum, & apostatam, & ad quid eiectus teneatur, quidve possit.

109 **S**uppono, Eiectum non esse Apostatam, nec Fugitiuum. Eiectum enim est, qui sponte discedit, idque vel animo deserendi institutum, & sic est Apostata; vel certè vt sit extra potestatem Superioris; & ad tempus liberè vagetur, cum animo redeundi; & sic solum dicitur fugitiuus. Qui eicitur non sponte recedit, sed iustus vel compulsus. Itaque qui eiectus vel dimissus discedit, non incurrit excommunicationem, aut alias pœnas apostatarum.

Qui verò fugit dimisso habitu, est excommunicatus; et si non animo apostatandi id faciat, c. Vt periculosa. 2. ne Clerici vel Monachi, in 6. quia habitum suæ Religionis temerè dimittit. si tamen non dimittat habitum, non est excommunicatus, et si fugiat ex Monasterio, nisi fortè animo apostatandi fugiat: quo casu secundum quosdam erit excommunicatus, etiam si habitum retineat.

Sed verius puto Iure communi non esse excommunicatum. nam dicto cap. Vt periculosa,

solum excommunicatur is, qui temerè habitum dimittit. Vnde DD. fatentur quidem esse apostatam, quod per se euidenter est; (apostata enim dicitur à desertione Instituti Religiosi; non autem ab habitu depositione) non tamen dicunt incurrit excommunicationem. Imò Siluester v. Apostasia, quæst. 8. & Caiet. in Summa, eodem verbo, apertè insinuant non esse excommunicatum nisi habitum dimiserit. Confirmatur, quia lex pœnalis non est extendenda vltra verborum proprietatem.

Dices, Si est apostata; ergo incurrit pœnas apostatarum, inter quas est excommunicatio.

Respondeo, Possè puniri vt apostatam, videlicet excommunicatione, carceris inclusione, suspensione ab Ordinibus, non tamen incurrit pœnam excommunicationis latæ sententiæ, Iure communi, nisi habitum dimiserit; quod ordinariè fieri solet.

Dico Iure communi, quia quædam Religiones habent priuilegia, quibus ipsarum apostatæ absolute excommunicantur, etiam si habitum retineant.

Quod autem ad eiectos attinet, quædam hæc sunt notanda. Primò, Si quis solum eiectus sit ad tempus, vt se emendet, hunc teneri se emendare, habilemque reddere, & tunc rursus se offerre Religioni vt denuò recipiatur. Si verò per sententiam absolute eiectus sit, non teneri se offerre, imò nec posse compelli per Superiorem Monasterij vt redeat; iuxta Nauarrum consil. 51. de Regularibus, & comment. 2. num. 33. & 36. Ratio ipsius est, quia per sententiam talem, Religiosus desinit esse membrum illius Ordinis, ac proinde eximitur eius iurisdictioni, sicut seruus eiectus à domino, efficitur sui iuris, & desinit esse sub domini potestate.

Si dicas, Cap. vltimum de Regular. (quod est Concilij Lugdun. sub Gregorio X.) iubet vt Visitatores, vel Abbates maiores, vel Priores requirant fugitiuos & eiectos; & cogant Monasteria vt eos recipiant; & si nolint reuerti, eos excommunicent.

Respondet Nauarrus locis citatis, hoc esse intelligendum de eiectis iniuste vel inordinate, vel saltem non per sententiam definitiuam.

Alij dicunt dispositionem illius cap. non esse amplius in vfu: nam ne fugitiuos quidem requirere solent. et si enim eiecti possint compelli ad reditum per Summum Pontificem, qui etiam statueret potest vt querantur & reducantur; si tamen hoc statum non est receptum, vel si contraria consuetudine aboluitum, non obligat.

Verius tamen puto, eos teneri reuerti, maxime si à suis Superioribus requisiti fuerint. Probatur Primò, Quia si nolint redire, possunt & debent excommunicari tanquam contumaces, vt expressè habetur d. cap. vlt. de Regular. vbi supponit Concilium eos saltem tunc teneri: non enim illis nouam obligationem imponit, sed eorum Superioribus, vt eos querant & compellant. loquitur autem de omnibus eiectis & fugitiuis. Secundò, Facto diuortio per sententiam definitiuam, nocens tenetur reuerti, si innocens velit eum in gratiam recipere & sibi reconciliare; vt communiter Doctores tradunt. non enim innocens per diuortium iure suo priuatus est, cum illud in fauorem ipsius factum sit. quod autem in fauorem alicuius

Obiectio.

Responso.

110
Eiecti an
teneantur
redire.Sententia
Nauarr.111
Verius est
teneri re-
dite.Dimittens
habitum.

alicuius inductum est, non debet in eius damnum retorqueri, vt habet reg. Iuris 61. in Sexto: ergo Religiosus per sententiam eiectus tenebitur reuerti, si Ordo illum repetat: sicut enim professio est spiritale coniugium, ita eiectio spiritale diuortium. Tertio, Quia ex vi votorum & professionis suæ tenetur manere in Religione sua vsque ad mortem: ergo quantum in se est, tenetur id præstare, & impedimenta amouere: ac proinde cum iam facta sit illi potestas redeundi, tenetur redire, vt soluat quod Deo promisit. Confirmatur, Quia antea solum excusabatur per impossibilitatem, eò quòd non esset in ipsius potestate ibi manere: ergo cum iam id ei factum sit possibile, recurrit vis obligationis. Hanc sententiam insinuat Siluester Religio 6. qu. 12. cum ait, eiectum cogi posse vt redeat; & D. Bonauentura quæst. 2. in Regulam S. Francisci. Si tamen aliū Ordinem ingressus fuerit, non tenebitur redire; quia Prælati hoc ipso quo illum expulit, & habitu priuauit, ei facultatem fecisse censetur alium Ordinem ingrediendi (non enim cupit illum manere in sæculo) quam reuocare non potest, quando res non est integra.

Non tenetur aliud intrare.
Secundò, Eiectum non teneri intrare aliud Monasterium. Ratio est, quia ad hoc se non obstrinxit. vel enim tenetur redire ad suum, cui erat obligatus; vel ad nullum.

Si vouerit Religionem in genere?
Dices, Quid si antea vouerat Religionem in genere?

Respondeo, Quidam putant, eo euentu illum teneri ingredi alium Ordinem, si in suo non recipitur; quia manet votum Religionis, cui tenetur & potest satisfacere. Insinuat hoc Sotus libro 7. de Iustitia, quæst. 2. art. 1. ad 3. & quidam alij recentiores.

Sed verius est non teneri. Ratio est, quia hoc votum Religionis in genere, fuit extinctum per professionem factam in hac Religione: omnia enim vota simplicia commutantur in solemnia Religionis; vt supra c. 40. num. 92. ostensum est. Adde, mentem ipsius non videri fuisse se obligare ad ingrediendam aliam Religionem, si post professionem contingeret eiici ex ista: nisi forte id expressè cogitauerit, & apud se statuerit cum voueret. quo casu si de eo constaret, putarem debere aliam Religionem capessere, nec posse in sæculo remanere: quia illud votum non fuit per professionem commutatum, cum nulla ratio commutationis subfuerit. Executio enim eius non concurrat simul cum executione professionis, sed solum inducitur in locum huius, si contingat hanc impediri.

112 Tertio, Posse eiectum in sæculo vti veste clericali; quia spoliatus habitu suæ Religionis per sententiam, non tenetur, imò nec potest eo vti; vt docet Nauarrus Comment. 2. num. 36. Superest igitur vt utatur veste clericali, statui suo conueniente.

Quarto, Non posse acquirere sibi alicuius rei dominium: quia manet verè Religiosus, obstrictus tribus votis substantialibus. Itaque est dominij incapax.

Cui acquiritur.
Petes, Cui ergo acquiritur? Nauarrus Comment. 2. num. 33. docet non acquirere Monasterio, quia non est amplius illius membrum, nec illi subiectus. sed si exemptus sit, acquirere Summo Pontifici: si non exemptus, Episcopo loci. Hæc sententia est probabilis.

Verius tamen puto cum Molina disputat. 140. ipsum acquirere Monasterio, vel dominium, si est capax; vel saltem commoditatem post mortem suam, si non est capax. Ratio est, quia Monasterium per culpam & punitionem Religiosi, ius suum, quod in bona illius habebat, amittere non debuit. Nec est simile de seruo; tum quia seruus per eiectionem à domino efficitur planè liber, & dominij capax, Religiosus verò minimè: tum quia hic non ita præcisus est à Religione sua, quin teneatur reuerti, si Religio velit; & si se emendauerit, cogi possit Religio illum admittere, nisi iustas causas habeat reculandi.

Dices, Si infans fuerit expositus à parente, eximitur à patria potestate, nec acquirit parenti; si militet si seruus à domino, efficitur liber, vt colligitur cap. vnico, de infant. & languidis; ergo pari modo si Religiosus eiectus fuerit à Monasterio, eximitur iuri illius, nec acquirit illi, sed Pontifici vel Episcopo.

Respondeo negando consequentiam; quia illud statutum est in pœnam crudelitatis parentum & dominorum: pœna autem non debet extendi ultra suum casum; præsertim cum nulla sit crudelitas aut culpa in expulsionem Religiosi. Deinde si hac in re est culpa aliqua, vel illa est in solo Prælate, & sic non debet nocere Monasterio; nam delictum personæ non debet in Ecclesiam redundare, vt habetur Regula 76. in Sexto. Idem dicendum, si est in minore parte Capituli. Vel est in Capituli maiore parte; & sic, etsi Monasterium possit priuari, non tamen priuatum est iure suo ante sententiam. Quòd si beneficium obtinuerit, acquirat beneficium & suæ Ecclesie.

De fugitiuis & apostatis dubium non est hos Ordini acquirere; quia Monasterium eos à se non abdicauit.

113 Quintò, Religiosum eiectum, eorum, quæ acquirunt, habere administrationem, tum ad alimenta, tum ad pias causas; hæc enim tacitè conceditur dum eiicitur. non tamen potest testari, quia Iure ad hoc inhabilis.

Dices, Quid si in illicita expenderit, tenebitur ne accipiens ab eo aliquid ad restitutionem? Videtur teneri, quia ille non est dominus, sed solum administrator: atqui ob hanc causam obnoxius est restitutioni quod Abbas vel alius Regularis illicitè expenderit, vt supra dubit. 9. dictum est. Hæc sententia est valde probabilis: nam DD. generatim loquuntur.

Contrarium tamen magis est vsu receptum, idque verius esse docet Molina disput. 276. Ratio est, quia tota commoditas interim dum viuunt ita ei relinquuntur ac si Religiosus non esset; nec cuiquam curæ est quomodo expendat: nam Monasterium non censet res illius in bonis suis ante eius mortem.

114 Sextò, Verius est, non recidere in obedientiam Episcopi ex vi sui voti & professionis: etsi Nauarrus multis locis (vt Comment. 2. num. 34. 35. & in obedientiam Episcopi) contrarium probare nitatur; sed solum teneri illi obedire, sicut alij de Clero. Ita Molina disputat. 140. & Azor. libro 12. cap. 16. quæst. 11. sic enim toto orbe vsu receptum; nec Episcopi aliquid peculiaris Iuris in illos vsurpant. Ratio est, quia in professione non intendunt se obstringere Episcopo per votum obedientiæ, sed solum suis Prælati Regularibus, & Romano Pontifici, qui

qui est omnium Religiosorum communis Superior, cum ab ipso omnis iurisdictio spiritualis ad illos descendat. Itaque cum promissio & votum non operetur ultra intentionem promittentis, non tenentur Episcopo ex vi voti; quod maxime locum habet in iis qui erant ab Episcoporum iurisdictione exempti: nam in non exemptis valde probabilis est sententia Nauarri, quia ex vi voti subsunt Episcopo. non tamen tenentur se illi offerre vt ipse eos dirigat, & ab ipso in omnibus dependeant, vt vult Nauarrus; quia hunc modum viuendi non

vouerunt: sicut nec ad aliam Religionem tenentur; imò nec à Romano Pontifice compelli possunt vt aliam capeant, vt idem Nauarrus docet de Regular. consil. 17.

Septimo, Eiectum non est solum suis votis; ¹¹⁵ et si cesset ex parte executio ob defectum materiae; ^{An solutus suis votis.} nempe quia caret Superiore à quo dirigatur, debet tamen ea seruare in præparatione animi. A reliquis verò monasticis obseruantis, vt à ieiuniis, vigiliis, delectu ciborum, silentio, est liber: quia hæc comitantur vitam monasticam.

CAPVT XLII.

De Iuramento & Adiuratione.

Constat Dubitationibus 14.

EXplicatâ naturâ voti, & status Religiosi, qui voto constat; sequitur alius religionis actus, qui iuramentum, iusiurandum, & interdum sacramentum (eò quod sit rei sacræ attestatio) à Iure & Scriptoribus vocatur. Huic affinis est adiuratio, quæ etiam per aliquid sacrum fit, quam eodem capite tractabimus. De iuramento agit D. Thomas quæst. 89. de adiuratione, quæst. 90.

DUBITATIO I.

Quid sit Iuramentum.

D. Thom. quæst. 89. art. 1.

1
Iuramentum.

IURAMENTVM dicitur à Iure, quia instar Iuris habendum. vnde à Latinis passim vocatur Iusiurandum. Græcis dicitur ἑρκασ, quasi ἑρκος, & septum firmum, extra quod non liceat procedere. Est autem Iuramentum nihil aliud quam attestatio diuini Numinis, vel inuocatio diuini testimonij ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.

Attestatio.

Est attestatio, id est, actio illa seu inuocatio, qua Deus adducitur in testem; quæ actio est opus intellectus, nam est locutio interior vel exterior, supponens actum voluntatis, quo intendimus illum in testem vocare.

2
Obiectio.

Dices, Ergo qui iurat, petit miraculum: Deum enim præbere testimonium dictis hominum, est res insolens supra naturæ ordinem. Deinde si iuramentum est inuocatio diuini testimonij, ergo est actus orationis; quia inuocatur Deus vt opem ferat ad persuadendum; ac proinde Sancti, quando inuocabant Deum vt miraculis prædicationem comprobaret, iurabant.

Resp.
Non petit miraculū.

Respondet ad Primum, negando conseq. Non enim iurans petit absolutè vt Deus nunc testetur, sed quando ei placuerit; vel saltem quando illuminabit abscondita tenebrarum, & reuelabit occulta cordium, quod testimonium nulli deerit: hoc autem valet ad fidem faciendam; quia non facile putatur quis ita esse improbus, vt ausit Deum facere testem falli.

Ad Secundum: Qui iurat, non inuocat diuinum

testimonium per modum orantis, sed per modum testantis; sicut dicitur inuocare testimonium Principis vel populi, qui dicit, Testor Principem, testor populum. hoc enim non est propriè orare, deprecari, sed testem constituere; & quantum in se est, ad testandum mouere. Simili modo dicimus, Facio Deum meum Iudicem, meum patronum, procuratorem, vindicem, &c. exprimentes affectum, quo illum ad hæc, quantum in nobis est, monemus, absque alia deprecatione.

Hinc patet Primò, Cur periurium sit graue peccatum; quia nimirum qui falsum iurat, quantum in se est, facit Deum approbare falsum pro vero; quæ est atrox iniuria. Sicut enim, qui dicit, Deus sit mihi socius, adiutor, fautor huius furti, homicidij, &c. affectu ipso & quantum in se est, facit ipsum auctorem & fautorem peccatorum: sic qui in mendacio dicit, Deus sit mihi testis; facit ipsum, quantum in se est, approbatorem mendacij.

Patet Secundò, Duo requiri ad essentiam iuramenti, intentionem iurandi, seu Deum testem faciendi, & locutionem, qua in testem vocetur. vnde si alterum horum absit, non erit iuramentum. Itaque illis formulis, *Per fidem meam, Fide boni viri, Fide boni Christiani vel Sacerdotis*, vt ordinariè accipiuntur, non est iuramentum, vt docet Nauarrus cap. 12. num. 2. Caiet. qu. 89. art. 6. Sotus lib. 8. q. 1. art. 1. & alij multi. nam qui sic loquuntur, non intendunt iurare, sed solum significare se loqui ex virtute fidei vel veritatis, quam vir probus, Christianus, Sacerdos, in dictis & promissis suis adhibere debet; & si fallat, vt non habeatur verax aut fidelis. Si tamen intelligant fidem Catholicam, erit iuramentum: qui enim dicit, *Per fidem Catholicam, per sanctum Evangelium*, censetur auctorem illius in testem addicere. Nihilominus si alio sensu & alia mente huiusmodi verbis vteretur, non esset iuramentum; vt si dicendo, *Per fidem meam feci, dixi, faciam*, &c. vellet significare causam efficientem vel impulsiuam. Neque in his est iuramentum, *Per meam conscientiam* (ethi Soro de hoc aliter videatur) *super meam conscientiam, in conscientia, in veritate*; tantum enim significant se loqui ex conscientia & veritatis notitia. & idem valent, *Per conscientiam*,